BROSIN

DE COENIS HOMERICIS.

DE COENIS HOMERICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VII. M. FEBRUARII A. MDCCCLXI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

OSCAR BROSIN
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARII ERUNT:
H. STAHL, STUD. PHIL.
R. KOEPKE, STUD. PHIL.
C. ROEHL, STUD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PATRUO OPTIMO CARISSIMO

FRIDERICO BROSIN

SACRUM.

DE COENIS HOMERICIS.

Ne quis mihi vitio vertat, quod de coenis Homericis disserens argumentum nimis minutum atque humile mihi elegerim, commemorare volo me ne parvas quidem res ei, qui antiquarum litterarum studio operam dederit, negligendas esse putare neque me iis superiorem habere, qui eandem materiam tractandam sibi olim proposuerunt quorumque scripta adhuc exstant. In ipsa quaestione tractanda id potissimum studui, ut Homerum ex ipso Homero, ut ita dicam, explicarem, et ubi interpretum sive veterum sive recentiorum insignes errores aut carminum corruptelas deprehendisse mihi viderer, ea indicarem et quantum possem emendare conarer. Maxime vero laetabor, si ad melius intelligenda carmina Homerica quantulumcunque erit attulisse dicar et si agnoscetur industria mea, quum acuminis parum mihi esse optime sciam.

Caput I.

DE CIBIS ET POTU.

§ 1. *De pane.* Panis, qui ciborum fere antiquissimus videtur fuisse cujusque jam apud Homerum usus est vulgaris, significatur vocabulis *ἄρτος* et *σῖτος*, quorum prius

de singulis panibus sive triticeis sive hordeaceis[1]) usurpatur, alterum nomen collectivum est idemque saepius, si carni opponitur, quemvis cibum frumentarium, si potui, quaevis edulia, omnem denique victum[2]) denotat. Vario modo vox *πύρνος*[3]) vel *πύρνον* explicatur. Plerique enim *σιτίον* supplentes *πύρνον* panem triticeum esse dicunt; at cur mendicis, qui soli *πύρνον* inter aliorum cibos non nominatum accipiunt, triticeus potissimum panis praeberetur? Quin etiam, si cum Philemone[4]) consentiremus *πύρνον* esse panem e tritico non cribrato confectum et omnia in se continentem[5]), mirum certe esset, quod mendicis certum panis genus fuisset destinatum. Maxime, si argumenta adessent, eorum probarem sententiam, qui illa voce frustulum panis significari ajunt; ita enim bene conjungerentur *πύρνον* et *κοτύλη* eaque mendicis proprie tribui dicerentur[6]). Farinae duo genera Homerus statuere videtur, hordeaceam et triticeam, sed hordeaceam proprie *ἄλφιτα*, triticeam *ἀλείατα* eum nominasse[7]) certo affirmari non potest neque, quamvis varius farinae usus esset, ullum in Homeri carminibus vestigium est placentam quandam vel pultem ex ea factam esse, quod interpretum plerique

---

[1]) Passovius quidem (Lex. editio V) *ἄρτον* praecipue panem triticeum esse vult, quia hordeaceus proprio vocabulo *μάζα* significetur; sed hujus vocabuli in neutro carmine Homeri mentio fit.

[2]) *π*, 83. — [3]) Ita Etymol. M. Suidas et Hesychius.

[4]) Apud Athenaeum III. p. 114 D. cf. Animadv.

[5]) cf. Athen. III. p. 110 E. de voce *αὐτόπυρος*, quem ille dicit panem cibarium esse, cui nihil furfuris ademtum sit. cf. animadv. ad hunc locum. — [6]) *ο*, 312.

[7]) id quod est in schol. ad *υ*, 108. Schol. quidem ad *β*, 290 explicat *ἄλφιτα τὰ ἐκ κριθῶν ἄλευρα καὶ τὰ ἐκ σίτων*; sed propter *υ*, 108 aliquid interesse inter *ἄλφιτα* et *ἀλείατα* videtur.

affirmant[1]). Contra ea ut *ἄλφιτα* farinam fuisse censeamus, inter alia hoc potissimum nos commovet, quod *ταμίη ἄλφιτα χεῦεν ἐν ἐυῤῥαφέεσσι δοροῖσιν*[2]); neque quidquam aliud *ἀλφίτου ἀκτή*[3]) est nisi mola, nempe farina hordeacea[4]). Tria alia frumenti genera, *ὄλυρα, ζειαί* et *κρῖ*, ut ego memini, tantum de equorum cibo usurpantur, unde quis conjectaverit in vocibus *κρῖ* et *κριθαί* prorsus eandem notionem non inesse[5]).

§ 2. ***De opsoniis.*** Eorum ciborum, qui praeter panem eduntur, primum locum caro obtinet variarum pecudum, imprimis suum, ovium, caprarum, boum. In omnibus autem bestiis mactandis pinguetudo praecipue respiciebatur; ita caprae, quae ad coenam mactantur, fere semper *πίονες* appellantur et ex subus eliguntur *σίαλοι ζάτρεφοι*. Boves, ut bestiarum maximae, praecipue in conviviis mactari solebant amplioribus et in sacris; ubi autem enumerantur pecudes ad procorum coenas quotidie adductae[6]), de bubus omnino sermo non est. Eligebantur vero *πενταέτηροι*, quod ea aetate optimi esse credebantur[7]). Neque singulas pecudum partes pariter aestimabant et inter delicatiores quidem cibos praesertim terga[8]) numerabant. Ea regum potissimum *γέρα* sunt[9]) eorumque partem convivae sibi in-

---

1) cf. Heynium ad *Λ*, 630 et Nitzschium (Erklaer. Anmerk. z. Od.) ad *β*, 289 sq.

2) *β*, 380. cf. *Λ*, 640 *ἄλφιτα πάλυνεν.* — 3) cf. epitheton *μυλήφατος*.

4) cf. de hoc genitivo Krueger. Gramm. T. II. § 47, 8, 1 et 5, 2. Quod ad rem, praeter *ἀλφίτου ἀκτήν* apponi *κάνεον* sc. pane repletum disertis verbis narratur *Λ*, 630 sq.

5) cf. de his frumentis lexicogr. — N. ad *δ*, 39 sq.

6) *ξ*, 105. Festis diebus major numerus est. — 7) schol. ad *B*, 402.

8) *ῥάχις, νῶτον, νωτιαῖα* cf. I, 207 sq. Koeppen. ad *H*, 321.

9) *δ*, 66. Quare verba *ὄψα, οἷα ἔδουσι διοτρεφέες βασιλῆες* (*γ*, 480)

vicem caritatis atque honoris causa interdum impertiunt[1]). Ubi sacra erant, praeter carnem viscera etiam gustabant victimarum, quarum comburere solebant capita, linguas[2]), ossa femorum (*μηρία*) omento operta, quibus crudas ex omnibus victimae membris decisas particulas imponebant (*ὠμοθετεῖν*). Liceat mihi, quamvis a dissertatione mea paullo remotiora sint, afferre argumenta, quibus illam vocis *μηρία* explicationem puto confirmari. Favet scholiorum testimonium[3]) neque vox *ἐκτάμνειν* aliud quidquam nisi exsecare significat. Tum id ipsum, quod omento ossa (*μηρία*) cooperuerunt, ea de causa fecisse videntur, quod ita ossa facilius comburebantur. Omento autem et ossibus copiosissimus certe nidor, quo diis nihil gratius, in coelum ascendit. Qui contra dicunt pietatem erga deos requirere, ut optimae victimarum partes diis consecrentur, ii non reputant etiam terga relicta fuisse, deinde diis, qui re vera antiquissimis temporibus hominum in sacris convivae esse putabantur, ab omnibus victimae membris caruncululas desectas esse, denique sacrificantibus, quamvis

---

ad hunc fortasse cibum quam maxime spectant. Cavendum tamen est, ne verborum *ὄψα, ἐδωδή, εἴδατα* generalem notionem finibus nimis angustis includamus. Ita *ὄψα* ad solam carnem referre solent interpretes. Quid vero dicunt veteres? ***Πᾶν τὸ ἐσθιόμενον*** (Sch. ad *I*, 489) aut *ὅτι πᾶν τὸ προςεσθιόμενον ὄψον ἔλεγον οἱ παλαιοί* aut *πᾶν προςόψημα, πᾶν τὸ μετὰ ἄρτον ἐσθιόμενον.* Sic caepa *ὄψον ποτῷ* nominatur (*Λ*, 630); *ὄψον* et *ἐδωδή* disjunguntur itaque diversos cibos significant (*ζ*, 77 cf. N.) et *ὄψα* Ulixi profecturo dantur (*ε*, 267), ubi carnem intelligendam esse non probabile est, quae haud facile integra in itinere maneat. Denique *ὄψον* a verbo *ἕψω* derivandum esse videtur atque ita omne coctum significaret. cf. Passov. Athen. p. 277 A.

[1]) *ϑ*, 474 sq. cf. 483; *ξ*, 437 sq. *H*, 321. — [2]) *γ*, 341 cf. N.
[3]) ad *Α*, 460.

pio animo repletis, hoc imprimis cordi fuisse, ut post sacra superessent, quae lautum epulum praeberent. Prorsus vero se abstinebant victimis ad jura juranda caesis[1]). Inter humiliorum hominum cibos referendi sunt stomachi caprini sanguine et adipe repleti[2]) et in veru tosti[3]). A pastoribus et nomadibus caseus edebatur[4]), qui tamen, potui κυκεών immixtus, et in heroum cibis fuit. Pisces vero pro vili nec alibili cibo habebantur[5]); nullus enim locus exstat, quo a principibus viris esi fuisse dicuntur, nisi ubi certa causa, ut fames, additur[6]). Ceterum quoniam Homerus heroes in Odyssea celebratos piscibus vesci solitos quidem fuisse numquam indicavit, sed summam potius necessitatem causam fuisse dicit, accipi non potest discrimen illud, quod inter Odysseae et Iliadis tempora et mores inde quod in Odyssea heroes piscibus vescantur, in Iliade abstineant, nescio quis statuit, multi postea agnoverunt. Homines viliores contra pisces edere solitos fuisse ex eo apparet, quod multis locis Homerus piscatus mentionem facit[7]). Haec quidem sunt, quae cibo fuisse poeta planis verbis enarrat; multa vero in enumerandis cibis silentio ille praeterit, de quibus, priusquam singula adeam, hoc in universum esse monendum existimo. Nemo non concedet, quod veterum interpretum egregiis notis confirma-

---

1) Τ, 268. Schol. ad Γ, 310. — 2) σ, 44 sq.

3) υ, 25 sq. cf. schol.

4) δ, 88; ι, 219. Quomodo praeparatus sit, docetur Ε, 902 sq.

5) In contrarium modum explicat Plutarch. Sympos. p. 657 (Reisk.) cf. p. 913, sui scilicet aevi mores Homericis aequans.

6) δ, 368 sq.; μ, 330 sq.

7) Π, 406; Ω, 80 sq.; κ, 124; χ, 383 cf. N. ad δ, 363 sq. Athen. p. 9 D; 13 A sq. et animadv. Tom. I, p. 117. 157; Plato de republ. III, p. 210 (ed. Mass.).

tur[1]), Homerum non solum quid dicendum esset consideravisse, verum etiam quid silentio praetereundum[2]). Ita saepe leviter rem tangens singula auditoribus praebuit illustranda. Hoc etiam in enumerandis cibis, fortasse ne nimis a carminis heroici gravitate recederet, fecisse mihi ille videtur. Quum enim dicat anseres a Penelope fuisse altos[3]) quumque turdorum et palumbium describat aucupium tendiculis factum[4]), quid inde sequitur nisi aves fuisse in coenis appositas[5])? Itidem ne aprorum[6]) quidem, hinnuleorum, leporum[7]), cervorum denique et capellarum ferarum[8]) venatus alia de causa ab heroibus institutos esse veri simile est, quam ut feris illis vescerentur, quod quidem diserte narratur de capellis et cervis, quorum sapor ut jucundus laudatur[9]). Neque pomorum, quae in hortis coluntur, varia genera[10]), etsi in dapibus haud enumerantur, apposita fuisse negaverim[11]). Num olera inter cibos referenda sint minus constat[12]), quamquam de eorum cultu vix dubitandum est propter *πρασίας* in hortis descriptas[13]), quod verbum optime a voce *πράσον* derivatur et *λαχανίας* vel *λαχανείας* hoc est areas olitorias significare in scholiis traditur. Fortasse etiam illa *μενοεικής παντοίη ἐδωδή*,

---

1) Schol. ad *Α*, 450 et *δ*, 52. — 2) Grammatici hanc dicendi figuram *τὸ σιωπώμενον* vocant. — 3) *τ*, 536.

4) *χ*, 468 sq. Etiam sagittis aves petuntur cf. *Ψ*, 852 sq.

5) *μ*, 330 sq. nihil aliud declaratur, quam aves non omnes pro esculentis esse habitas. — 6) *τ*, 439 sqq. — 7) *Δ*, 243; *ρ*, 295; *Κ*, 361.

8) *κ*, 171; *ι*, 154 sq.

9) *κ*, 180 sq. Terpstra (Antiquitas Homerica) nimis caute in hac re agit, ne quid in mores Homericos inferre videatur. Sed quas affert venationis causas (III, 1, 3) eae non sufficiunt.

10) *η*, 115 sq.; *ω*, 246; *Ι*, 542. — 11) cf. Athen. p. 24 F.

12) Athen. l. l. de ea re non dubitat. — 13) *η*, 127.

de qua ζ, 76 sermo est, ad olera spectat. At contra opinionem nostram afferri possit fabas et ciceres ut viles e frumento ejici[1]) et Homerum, quum de Lotophagis ut mirum quoddam narret *ἄνθινον εἶδαρ* eos edere, videri de Graecis idem negare voluisse. Minime heroum victui convenire nobis videbitur et veteribus jam visum est, quod ostreis illi vescuntur; sed ne hoc quidem dubitandum est, quippe quum in similitudine[2]) poeta de homine loquatur,

[1]) *N*, 588 sq. Prave locum intellexit Friedreich. (Realien in Il. u. Odyss.) p. 253. cf. schol. et Herodot. II, c. 37.

[2]) *Π*, 747 sq. Satis memorabile scholion ad hunc locum exstat, quod tamen in singulis refellere non difficile est. *Οὐχ ὁμοῖα τοιαῦτα τῇ ἄλλῃ περὶ τοὺς ἥρωας διαίτῃ· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τοὺς ἁβροδιαίτους Φαίακας ἢ μνηστῆρας τοῖς τοιαύτοις χρωμένους εἰςήγαγεν* (sane quod hujusmodi res modo tangere solet). *ἤτοι οὖν ὅπερ αὐτὸς ἀλλαχόθεν ἠπίστατο τοῖς ἥρωσι περιέθηκεν* (concedo, sed haec certe Homerica sunt; nihil vero aliud quaerimus, quam quae Homerus, antiquissimus testis, heroibus attribuerit) *οὐχ ὡς ἀεὶ χρωμένων τοῖς ὀστρέοις πρὸς τροφὴν τῶν ἡρώων, πρὸς ἀνάγκην δὲ ἐν πλῷ· τοῦτο γάρ φησιν ὁ Πάτροκλος· ἐπιφέρει γοῦν νηὸς ἀποθρώσκων* (semper ostreis usos esse heroas re vera demonstrari non potest, sed audacius ait scholiasta id modo propter necessitatem in itinere factum esse. Navigio enim ipso, ex quo desilit urinator, in eum locum vehitur, ubi ostreae saxis adhaerentes inveniuntur. Porro, quae in similitudine Homerus attingit, non ad rem simul factam pertinent.) *οὐδὲ γὰρ ἰχθύσι χρωμένους εἰςήγαγεν ἢ ὄρνισιν, ἀλλ' ὁμῶς δι' ἀνάγκην καὶ τοῖς τοιούτοις ἐπιχειροῦσιν οἱ Ὀδυσσέως ἑταῖροι· καθόλου γὰρ τὴν τοιαύτην χρῆσιν διὰ τὸ μικροπρεπὲς παρῃτήσατο, κρέασι δὲ ὀπτοῖς χρῆσθαι αὐτούς φησιν, ἵνα καὶ ἐπ' Ἀχιλλέως εἰπεῖν δυνηθῇ· τῷ δ' ἔχεν Αὐτομέδων, τάμνε δ' ἄρα δῖος Ἀχιλλεύς. ὅρα δὲ οἷον ἦν ἰχθὺν καθαίρειν τὸν τῆς Θέτιδος ἢ τὸν ζωμὸν ἕψειν* (At nescio quid in edendis piscibus vel avibus per se humile sit; singula talia in coena enumerare sane recedit a carminis epici sublimitate. Carnem autem parare et coquere laborem heroibus magis dignum esse, quam pisces et aves non intelligo. Et ad-

qui urinatus ostreas colligat. An putandum est ostreas captas esse, ut ad oculorum voluptatem exponerentur? Ne quid omittam, affero inter liberorum nutrimenta ovium pingue et medullam[1]). Dii, ut notum est, ambrosia et nectare utuntur, quorum summam teneritatem optime poeta expressisse videtur *T*, 352 sq., ubi ea inscio Achilli a Minerva instillantur. Quia vero proprium deorum est nectare et ambrosia vesci, hominum mortalis natura eo saepius notatur, quod *ἀρούρης καρπὸν* vel *Δημήτερος ἀκτὴν ἔδουσιν*[2]). Valde enim corporum natura varia est pro vario victu, quo quis utitur[3]).

§ 3. *De potu.* Quaerenti, quae potui Homericis fuerint hominibus, praeclarum se offert testimonium multa non diserte commemorasse Homerum, de quibus dubitari vix possit. Numquam enim de bibenda aqua, potu omnium hominum et temporum communi, loquitur. Lactis usus potissimum apud pastores et nomades reperitur[4]). In coenis et inferiores homines et nobiles utuntur vino, quod apud Homerum saepe summis laudibus effertur. Ne feminae quidem neque liberi vino abstinent[5]). Vinorum autem varietas non in colore constitisse videtur, quoniam albi vini ne minima quidem mentio fit; sed pro temperatione[6]), pro aetate, pro origine aut pluris aut minoris vinum aestimatum est. Meracius[7]) enim et ve-

---

erant coqui et ministri, siquidem heroibus talia curare inhonestum erat. cf. Athen. p. 18 AB.; p. 660 B.

[1]) *X*, 501 cf. schol. — [2]) *N*, 322; *Z*, 142. — [3]) *E*, 340 sq.

[4]) *ι*, 249 sq. cf. *B*, 469; *N*, 5. — [5]) *ζ*, 77; *ν*, 57; *I*, 489.

[6]) Semper fere temperatur vinum; v. infra.

[7]) Est *οἶνος ζωρότερος*, quo hospites honorat Achilles (*I*, 203). cf. Athen. p. 423 D. sq. Koeppen. ad *I*, 203 et auctores ibi citatos.

tustius[1]) vinum constat in majore pretio fuisse. Inter terras autem, quae vinum bonum dicuntur procreare, Lemnos atque Thracia laudantur, ex vinis vero Thraciis Ismarium[2]) illud maxime celebratur, validissimum atque suavissime olens, *θεῖον ποτόν*. Vinum Pramnium, quod cyceoni immiscebatur, unde nomen habeat, me nescire fateor, lectorem benevolum ad scholia[3]) delegans, ubi ex octo fere, quae exstant, explicationibus eligat, quam voluerit. Ille *κυκεών*, cujus modo mentionem feci, e vino Pramnio, farina, caseo caprino, melle mixtus erat[4]). Ad vinum interdum caepas edebant[5]). Asservabat vinum rerum domesticarum administra, cui potissimum curae erat[6]), in cella penaria[7]), ubi secundum parietes deinceps magnae urnae stabant vino mero repletae[8]), quae, ut vinum posset exhauriri[9]), supra os latum habebant operculo clausum. Urnam relinere proprie exprimitur verbis *οἴγνύναι οἶνον καὶ λύειν κρήδεμνα*[10]). Ex urnis vinum exhauriebatur in amphoras,

---

Scholia variis modis explicant, cur Achilles tale vinum apponi jusserit. At haec praetermittamus. Comparativum facile ita explanabis: vinum minus mixtum, validius appone, quam tu mihi miscere solitus es.

1) Vinum per multos interdum annos asservatur *β*, 340; *γ*, 391.

2) *ι*, 196 sqq. — 3) *Λ*, 639 et *κ*, 235.

4) *Λ*, 638 sqq. *κ*, 234 sq. *ἐκύκα*, unde nomen.

5) *Λ*, 630 cf. de hoc usu Friedr. p. 254 ibique adnot.

6) *β*, 350 cf. *ι*, 207. — 7) *β*, 337 sq.

8) Quod Friedr. p. 270 dixit in utribus caprinis plures annos vinum esse asservatum demonstrari non potest. — 9) *β*, 349; *ψ*, 305.

10) *γ*, 392. Vox *κρήδεμνον* vario modo explicatur. Ut omittam schol. M, quod de ore quodam in operculo dolii confecto fabulatur, scholia alia et Eustathius putant ipsum operculum eo significari nimium a primitiva verbi notione recedentes, ut monuit Nitzschius, qui ad *Τροίης κρήδεμνα* i. e. moenia respiciens de circulo, quo operculum teneatur, cogitare mavult. Fortasse *κρήδεμνα* potius vincula supra operculum

quas profecturi secum ferebant operculo reclusas[1]); saepius tamen peregrinantes vinum habebant utribus inclusum.

Caput II.

DE TEMPORE, QUO CIBUM CEPERINT.

§ 1. *Δεῖπνον.* Quamquam Homerus neque certas per singulos dies coenas neque certis horis homines suos instituentes inducit, tamen duas potissimum coenas, *δεῖπνον* et *δόρπον,* statuisse[2]) eorumque verborum notiones certo et separato sensu tenuisse mihi videtur. Et hoc quidem jam demonstrare conabor, quum id ante omnia persuasum habeam, quod docuit Aristachus, Homerum certum dicendi usum certamque rationem ubique servavisse. Itaque hoc primum dico *δεῖπνον* apud Homerum esse coenam cujusvis diei primariam matutino tempore institui solitam neque supra meridiem dilatam. Scholia, quae perlustravi, omnia, in quibus Aristachea, dum explicant *τὸ πρωϊνόν* vel *τὸ ἑωθινὸν ἔμβρωμα* vel saepissime *τὸ καθ' ἡμᾶς ἄριστον*[3]), ejus coenae tempus non certe quidem definiunt, in eo tamen

---

decussatim ligata significant cf. *ϑ*, 443. Spitznerus in edit. adnot. Koeppen. ad *Ξ*, 184, qui hoc loco non de urna, sed de utre sermonem esse vult, collato *κ*, 23 *κρήδεμνα* de vinculis utrem constringentibus accipit. Sed in utre tam diu vinum nou asservatur.

1) *β*, 353. — 2) De solitis coenis tantum cogito et concedo Terpstrae (III, 4, 1) modo per totum diem epulatos esse heroas, modo cibum cepisse, ubi vel res ita ferrent vel fames postularet.

3) Satis memorabile est, ad quod vir illustrissimus Boeckhius animum meum advertit, prorsus simili ratione atque Graeci vocabulum *δείπνου* priore tempore pro coena meridiana, deinde pro vespertina usurpaverint Romanos veteriores prandium, recentiores vespertinas epulas coenam nominasse.

consentiunt hanc coenam numquam post meridiem esse factam, quod quidem singulis locis Homericis accurate inspectis confirmatur. Primo mane *δεῖπνον* sumunt in bello, quum pugna instat[1]), vel antequam greges exigant[2]) vel profecturi[3]) vel alia de causa[4]). Aliis locis *δεῖπνον* est coena, quam operarii circa meridiem sumunt inter operas, postquam matutinum tempus labore consumpserunt[5]). Tum contendo ne iis quidem locis, ubi de tempore nihil potest ex poetae verbis statui, coenam aliam verbo *δείπνου* indicari. Ubi enim e coenis quotidianis unam tantum affert poeta, *δεῖπνον* nominat; haec igitur primaria ejus diei coena est, quam post meridiem institutam fuisse non veri simile est. Multa etiam illis locis post *δεῖπνον* fieri solent[6]), quod eam ipsam ob causam a coena vespertina differt; *δόρπον* enim laboribus finem facit. Si quando fit, ut paullo seriore, quam solet, tempore *δεῖπνον* sumatur, certa causa additur ut *ρ*, 182[7]), ubi proci, ludis occupati, coenae immemores sunt itaque a praecone, ne justum edendi tempus negligant[8]), admonentur, qua ipsa adhortatione poeta significavit contra morem eo die seriore tempore *δεῖπνον* fieri. Dies autem nondum tam provectus erat, ut haec coena re vera *δόρπον* esset. Ulixes et Eumaeus

---

1) *T*, 316 sq. 171; *B*, 399; *Θ*, 53.

2) *ι*, 310; *ο*, 396 sq. *ἅμα ἠοῖ φαινομένηφιν.*

3) *ο*, 76 sq. — 4) *τ*, 320 sq.: *ἠῶθεν μάλ' ἦρι; K*, 578 cf. *Λ*, 1.

5) *Λ*, 86 (ubi Aristarchus bene *δεῖπνον* posuit pro vocabulo *δόρπον*, quod habuerat Zenodotus propriae horum verborum notionis inscius) cf. 84; *Σ*, 560 cf. *ζ*, 97.

6) *Ψ*, 158 cf. 154 *καὶ νύ κ' ὀδυρομένοισιν ἔδυ φάος ἠελίοιο*, quae formula, ut recte monuit scholiasta, *ὑπερβολικῶς* hoc loco usurpata est.

7) cf. ejusdem libri v. 170. 176. 190.

8) v. 170. 176. Similiter *ξ*, 407 *δόρποιο ὥρη* commemoratur.

eo tempore veniunt, ut coenae illius participes esse possint, deinde Eumaeus luce redit; tum demum, postquam multa dicta et acta sunt, vesper venit et candelabris ignis imponitur[1]); sed coenam vespertinam eo die non instituunt[2]), quod *δεῖπνον* sero inceptum atque diu extensum erat. Hoc ita se habet, sed locus multo difficillimus restat. Telemachum enim et Pisistratum tenebris jam obortis advenientes ita alloquitur Menelaus[3]):

σίτου θ' ἅπτεσθον καὶ χαίρετον, αὐτὰρ ἔπειτα
δ ε ί π ν ο υ πασσαμένω εἰρήσομεθ' οἵτινές ἐστον.

Hoc igitur loco *δεῖπνον* pro verbo *δόρπον* usurpatum esse manifestum est. Sed nihil hic locus valet ad regulam, quam supra posuimus, infringendam, quippe quum plane subditicius videatur et complura contineat, quae et inter se et a moribus Homericis dissideant. Nam, ut alia omittam, haec reputasse satis erit. Advenae Menelaum coenam nuptialem cum amicis et propinquis celebrantem invenisse dicuntur, priusquam domum intraverunt atque, quae intus fierent, cognoscere potuerunt[4]). Menelaus hospites ad coenam[5]) induci jubet, sed illi morantur in contemplanda domo, quae, quamquam sol jam occidit et tenebrae ortae sunt, splendore, qualis lunae vel solis est, iis affulget. Deinde, priusquam a Menelao excepti sunt, lavantur; tum demum aedes ingressi Helenam et Menelaum solos inveniunt, convivae nuptiales subito evanuerunt. Famem et sitim expellunt, deinde colloquio haud longo interposito a Menelao admoniti, ut ad *δόρπον* redeant, denuo, quamquam satiati, cum illo de cibis appositis vescuntur[6]). Multa

---

[1]) σ, 306. cf. infra. — [2]) ut α, 422 sq. — [3]) δ, 60 sq.

[4]) cf. N. ad δ, 3. — [5]) *θοινηθῆναι*, quod verbum hoc uno loco legitur.

[6]) Quod Lehrsius (De Arist. stud. Hom.) dicit Menelaum, ne malis

alia in hac rhapsodia occurrunt, quae ab Homeri arte abhorrent[1]), sed haec sufficiant ad cognoscendum, quam injuste totus hic locus Homero adscribatur. Plane autem negligere possumus, quae ad interpretandum hunc locum prolata sunt. Scholiorum enim explicatio a multis accepta, quae hanc coenam re vera *δεῖπνον* fuisse statuit hospitibus ex itinere advenientibus, claudicare videtur; quod autem Vossius affert interdum apud Homerum *δεῖπνον*, ubi laute celebretur, usque ad vesperum extendi itaque fieri posse, ut eadem coena et *δεῖπνον* et postea *δόρπον* nominetur, non magis probabile est. Quid plura? Quum Menelaus dicat: *δόρπον δ' ἐξαῦτις μνησώμεθα*[2]), etiam prior coena, ad quam brevi temporis spatio intermisso redeunt, *δόρπον* fuit. Si igitur usum dicendi Homericum servare voles, aut *δόρπον* pro *δείπνου* scribes aut totum hunc locum a recentiorum poetarum quodam profectum esse censebis, qui vocabula *δεῖπνον* et *δόρπον* confuderunt[3]). Restat, ut commemorem *δεῖπνον* etiam de equorum pastu usurpari eadem, quam supra statuimus, significatione[4]). Ut autem Homerum vocabula *δεῖπνον* et *δόρπον* distinuisse constat[5]), ita vocabula *δειπνέω, δειπνίζω, δείπνηστος* a voce *δεῖπνον* derivata eodem usu, quem indicavi, posuit.

---

quasi ominibus diem finirent (cf. v. 194), *δόρπον* instaurari jussisse, quam mira causa esset!

1) Ita v. 62 — 64 ab Aristophane Byzantio et Zenodoto pro spuriis habiti sunt; v. Nauck. (Aristoph. gramm. fragm.) p. 25. Alia infra occasione data tractabo.

2) v. 213. Recte mihi videtur Lehrsius observasse *ἐξαῦτις* particulam apud Homerum usurpari, ubi quis in aliqua re, quae interrupta fuerit, pergat. — 3) cf. Lehrs. s. v. *δεῖπνον*. — 4) *B*, 383 cf. 381.

5) *υ*, 390 cf. 392 et *φ*, 428. Quod de genere et specie Doederleinius in glossario Homerico s. v. *δεῖπνον* dixit, neque mihi persuasit

§ 2. *Ἄριστον.* Non tantum inter *δεῖπνον* et *ἄριστον* interesse Homerus voluit, quantum inter *δεῖπνον* et *δόρπον*[1]). Primum enim *ἄριστον,* quod duobus tantum locis apud Homerum invenitur[2]), non tempore a *δείπνῳ* distat; neque enim, ut in scholiis quibusdam scriptum est, ante *δεῖπνον* fuit instructum[3]). Deinde numquam fit, ut eodem uno die iidem homines et *δεῖπνον* et *ἄριστον* sumant[4]), quoniam ternis per singulos dies epulis Homerici homines prorsus non utuntur[5]).

§ 3. *Δόρπον.* Altera igitur coena quotidiana *δόρπον* est. Atque ut de voce ipsa dicere incipiamus, ex Homeri carminibus non satis constat, utrum *δόρπον* an *δόρπος* propria forma fuerit; numquam enim nominativus singularis numeri, semper fere accusativus, interdum genitivus reperitur. Fuisse vero grammaticos, qui formam *δόρπος*

---

neque alii, opinor, persuadebit. Immo fateri mihi liceat omnia, quae ibi de voce *δεῖπνον* et de vocabulis inde formatis disputet, minus accurata mihi videri.

1) Jam Athen. (p. 193 A cf. p. 11 ibique animadv.) in eam sententiam inclinat, ut *δεῖπνον* et *ἄριστον* idem valere censeat.

2) *π*, 2; *Ω*, 124.

3) cf. *π*, 49 et *ο*, 500, ubi Telemachi socii etiam ante *ἄριστον* sumpserant *δεῖπνον*. *Ἄριστον* certam coenam fuisse, recentiorum *ἀκράτισμα,* in qua intincta mero panis frusta ederint (Athen. p. 11 B sq.) locis Homericis certe non potest firmari.

4) *π*, 2 cf. 479. In hujus libri initio non alia coena quam *ἄριστον* (v. 2) ea est, quae v. 49 describitur; hoc ipsum enim *ἄριστον,* quod interruperat Telemachi adventus, deinde continuatur cf. v. 13 et 52.

5) Schol. ad *Β*, 381. Falso tres coenae quotidianae inter se diversae in aliis scholiis statuuntur, cujus opinionis auctor videtur fuisse Aristarchus cf. Lehrs. s. v. *δεῖπνον*. Eodem errore occupatus est Eustathius cf. Plut. Symp. p. 897; Athen. p. 193 B.; Terpstra III, 3. Duas coenas de eodem homine memorari memini cf. *ξ*, 111 et 408; al. l.

et metaplasmum quendam in plurali *δόρπα* admissum statuerent, scholio ad *Ω*, 444[1]) confirmari mihi videtur, ubi dicitur: *δόρπα ὡς λύχνα· τινὲς δ' ἀπὸ τοῦ δόρψ, κακῶς.* In hoc igitur scholio formae *δόρπον* ne mentio quidem fit. Sed quidnam statuendum sit me nescire libere fateor. Significatio contra vocabuli sine ullo dubio ita definienda est, ut sit coena post solis occasum prima nocte sumta[2]). Quod autem in bello, quo multa extra ordinem et contra consuetudinem fiunt, interdum seriore tempore *δόρπον* sumatur[3]), nihil est quod miremur. Si vero ante solis occasum Homerici homines *δόρπον* apponunt, certae quaedam atque justae causae exstant[4]). Ita quum Ulixes dicat[5]): *νῦν δ' ὥρη καὶ δόρπον Ἀχαιοῖσιν τετυκέσθαι | ἐν φάει* animum prodit ultionis cupidissimum, cui nihil longius videtur, quam procis tandem ultimam coenam i. e. necem parare; lucente igitur die atque prius, quam fieri solet, nunc iis hanc coenam sese paraturum dicit[6]). Quae cum ita sint, recte Aristarchus mihi videtur intellexisse numquam de coena vespertina aliud vocabulum apud Homerum tolerari posse quam *δόρπον* nec contra *δόρπον* de alia coena dici posse. Merendam quandam inter *δεῖπνον* et *δόρπον*

---

1) cf. schol. ad *Ω*, 2.

2) Hoc innumeris locis firmatur, ita *Λ*, 730; *Θ*, 503; *Τ*, 208; *δ*, 429 (cf. Eustath.); *η*, 166 cf. 229; *μ*, 307 cf. 291 etc. *μ*, 439 dicitur judex post dijudicata multa hominum certamina domum se ad *δόρπον* conferre. Hoc vero fit, ubi vesper adest; cf. schol. Temere igitur Passov. egit, qui hoc loco probare voluit vocem *δόρπον* de quavis coena quotidiana usurpari.

3) Itaque in Iliade potissimum *δόρπου* tempus negligitur, ut *Ι*, 88 cf. *Ω*, 601. — 4) *δ*, 786 de parataxi cogitandum est, ut *κ*, 353. cf. N. ad *ζ*, 98 et *ϑ*, 475. — 5) *φ*, 428.

6) Praeterea *δόρπου* tempus prope erat; nam post *δεῖπνον* tota *τόξου θέσις* et alia facta erant.

sumptam ex verbo δειελιᾶν[1]) statuere res dubia est; sane inter certas coenas quotidianas talem merendam referre vix possumus[2]). Ceterum certus vocabuli δόρπον usus jam apud poetas, qui non ita multo post Homerum fuerunt, neglectus est; ii enim et de cibo in universum et de prandio et de cujusvis temporis coena vocem δόρπον usurpaverunt[3]).

Caput III.

DE CONVIVIORUM GENERIBUS.

§ 1. *Δαίς.* Epulas, qualescunque sunt, apud Homerum generali natione δαίς vel quae aliae formae exstant δαίτη et δαιτύς[4]) significant. Si in etymon, quod vocant, inquiris, jam omnes veteres consentiunt δαῖτα nomen ducere a dividendo et distribuendo atque cum vocabulis δαίω, δαΐζω, δαίνυμι, δατέομαι, δαιτρός conferendam esse. Aristarchus statuit Homerum hoc vocabulo non uti de bestiis, sed de solo cibo hominum, quam observationem illustrans Athenaeus δαιτός nomen inde ortum esse addit, quod a fera rapacitate ad modestiorem cultum progressi homines in epulis aequam cuique portionem apposuerint[6]). De lautis potissimum epulis δαῖτα usurpari epitheta frequentissima μενοεικής, ἐσθλή, ἐπήρατος, ἐρατεινή, θάλεια[7]) indicant. Longe usitatissimum inter δαιτός epitheta

---

1) ρ, 599. — 2) cf. Athen. p. 193 A. sq. — 3) cf. Lehrs. s. v. δεῖπνον. — 4) semel legitur X, 496. — 5) Plut. Symp. p. 550. Athen. p. 12 E. — 6) cf. l. l. Omnes, quas ibi protulit, fictiones suscipere dubitamus.

7) Perverse hoc adjectivum explicat schol. ad γ, 420. Significat autem florentem coenam itaque solet de epulis post sacra factis imprimis

est ἐίση, quod a veteribus fere omnibus et recentiorum plerisque ita explicatur, ut, voci δαίς additum, indicet epulum, in quo omnes convivae pares accipiant portiones[1]). Quam sententiam ut accipiamus multa quidem suadent, ut notio aequalitatis, quae huic epitheto, etiam si ad alia verba positum est[2]), inesse solet; accedit, quod ipse poeta saepius narrat, antequam ad δαῖτα se conferrent, homines certas portiones fecisse[3]). Attamen aliae causae, quominus

luculentis usurpari. Quod quidem negligitur ϑ, 99, sed illo loco praeter lectionem ϑαλείῃ alia exstabat, ut Eustathius tradidit, ἑταίρῃ, non improbabilis, quam, qui favent illi observationi, reponant. Non minus alter locus *H*, 475 obstare videtur, sed libere mihi, quamvis valde verear, ne virorum doctorum vituperationem subeam, quorum nullus adhuc, quod sciam, hunc locum damnavit, profitendum est totum hunc locum inde a versu 467 usque ad libri finem, excepto fortasse versu 482, undique mihi suspectum esse. Nam primum mira profecto haec edendi cupiditas in Achivis esset, si statim post δόρπον appulsis navibus denuo lautum convivium pararent atque totam noctem epulando consumerent. Deinde vox παννύχιοι hoc loco plane contra propriam vim usurpatur. Additur enim cubitum dein illos ivisse; nox vero apud Homerum aliis locis semper temporis spatium usque ad diem orientem complectitur (cf. N. ad β, 434) atque hoc ipsum tempus vocabulo παννύχιος continetur (α, 443 cf. β, 2; β, 434). Diserte id ipse poeta indicavit η, 288 et Θ, 508, ubi παννύχιος verbis καὶ ἐπ᾽ ἠῶ, μέσφ᾽ ἠοῦς explicatur, atque simili ratione πρόπαν ἦμαρ semper usque ad ἠέλιον καταδύντα extenditur; eadem denique notione πανημέριος usurpatur. Accedit quod versus 475 Aristophani et Zenodoto suspectus fuit propter λέξιν νεωτερικὴν ἀνδραπόδου (cf. schol. et Eustath. p. 692, 21). Si vero hic versus ejiciendus est, neque ea, quae antecedunt, neque quae sequuntur poni possunt. Denique subita Trojanorum mentione totus narrationis cursus turbatur.

1) Hesych. ἐίσης — τῆς ἐξ ἴσου μεριζομένης; Athen. l. l. Schol. ad *A*, 468. — 2) cf. νῆες, φρένες ἐίσαι, ἀσπὶς ἐίση.

3) γ, 66 μοίρας δασσάμενοι δαίνυντ᾽ ἐρικυδέα δαῖτα; cf. ξ, 432 sqq. et quae de δαιτροῦ negotio infra dicentur.

illud epitheton omni sua vi semper positum esse statuamus, nos prohibent. Primum enim illae quoque epulae *ἐΐσαι* vocantur, in quibus honorati convivae sive rex sive bellator insignis sive hospes sive qui regi imprimis accepti sunt majorem atque meliorem cibi potusque portionem accipiunt[1]). Deinde vel ipsa sacra Jovi in ara oblata, combustae carnis nidor et libamentum, *δαὶς ἐΐση* nominantur. Quamquam vero concedendum est de epulis post sacra factis recte et proprie vocabulum *ἐΐση* usurpari posse[2]), quomodo tale epulum, quod uni praebetur, dici potest pariter distributum esse? Quae difficultas scholiastam videtur commovisse, ut in hoc loco explanando cogitaret de epulo, quod Jovi praeberi aequum esset[3]); neque alio, opinor, consilio permoti Zenodotus, Vossius, Koeppenius hoc vocabulum explicare variis modis conati sunt. Sed quas proponunt explicationes, quum bonum atque egregium[4]), commune, debitum epulum intelligi velint, nescio quo modo possint confirmare. Equidem haec omnia putavi hunc in modum expedienda esse. In coenis epulisque sane mos hominibus Homericis fuit pares convivis portiones distribuere. Jure igitur *δαῖτες* vocatae sunt *ἐΐσαι*, nam, quum omnes solitum morem tenerent, exceptio quasi fuit, si huic vel illi plus cibi et potionis apponebatur. Vocabula autem *δαίς* et *ἐΐση* conjungere jam ante Homerum in usu fuisse puto tam frequenti, ut in unam quandam notionem concrevisse hae duae voces viderentur atque Homero, propria vocis *ἐΐση* vi minuta atque fracta, libe-

---

1) *Μ*, 310 sq; *Η*, 321; *Δ*, 261 sq.; ξ, 437. — 2) *Δ*, 468.

3) *Δ*, 48; *Ω*, 69 *ἐΐσης — τῆς ὀφελούσης καὶ δεούσης· καὶ αὐτοῖς γὰρ μοίρας ἀπένεμον καὶ ἀπήρχοντο ἐξ ὅλων τῶν μελῶν, τούτῳ δὲ πλέον.* — 4) Zenodot. ap. Athen. p. 12 D. Koeppen. ad *Δ*, 468.

rius ea uti liceret. Haec una explicandi ratio mihi videtur esse, unde factum sit, ut poeta *δαῖτα ἐίσην* nominaret ea, quae Jovi comburebantur.

§ 2. *Εἰλαπίνη*. Notio minus late patens inest in vocabulo *εἰλαπίνη*, quod, quantum scio, non satis accurate adhuc explicatum est. Nam, ut a veteribus explanatoribus incipiam, Hesychius *εἰλαπίνας* interpretatus est *θυσίας, ἑορτάς, εὐωχίας* esse, Athenaeus[1]) illo vocabulo significari dicit *τὰς θυσίας καὶ τὰς λαμπροτέρας παρασκευάς*, scholiastae[2]) denique *εἰλαπίναι* sunt *ἑορταί, ὅτε κατὰ εἴλας πίνουσιν*. Jam nos, sicut propositum erat, ex ipsis Homeri carminibus accurate singulos locos perlustrando atque inter ipsos comparando et vim et usum hujus vocis investigemus. Atque primum quidem *εἰλαπίνας* tumultuose[3]) nec satis modeste a multis (*τίς δὲ ὅμιλος*) agitatas esse ex *α*, 225 sq. apparet, quem locum, quum ad hanc quaestionem et ad alias deinceps tractandas plurimum valeat, integrum hic affero:

τίς δαίς, τίς δὲ ὅμιλος ὅδ' ἔπλετο; τίπτε δέ σε χρεώ;
εἰλαπίνη ἠὲ γάμος; ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν.

Ex iis autem, quae de *δαιτός* et *εἰλαπίνης* proprietatibus adhuc statuimus, manifestum est minus recte Eustathium et alios censuisse *εἰλαπίνην* et *γάμον* species esse *δαιτός*; neque enim *εἰλαπίνη* species generalis verbi *δαίς* est et *γάμος* potius est species ipsius *εἰλαπίνης*. Ita fit, ut *εἰλαπίνη* pro coena nuptiali possit usurpari[4]). Si vero discrimen inter vocabula *δαίς* et *εἰλαπίνη* volueris statuere, dicendum erit in voce *εἰλαπίνη* copiosioris lautiorisque coenae inesse notionem, quam simplex verbum *δαίς*, nisi

[1]) VIII, p. 362 E. — [2]) Ad *Κ*, 217. — [3]) Cf. *α*, 227.
[4]) *Σ*, 491.

addantur epitheta *θάλεια, ἐσθλή* alia, non habeat, eaque ratione conjungi verba *δαίτῃσι καὶ εἰλαπίνῃσι*[1]). Haec sunt omnia, quae de hujus vocabuli vi et usu Homerico constant. Temere vero nonnulli dixerunt hoc etiam ad propriam illarum epularum notionem spectare, quod unus ad eas invitaret; fit hoc sine dubio, sed eae quoque coenae *εἰλαπίναι* sunt, quae non ab uno praebentur, ut procorum *εἰλαπιναζόντων*[2]) in Ulixis domo convivia, ad quae certe a nullo vocati sunt. Quum enim idem valere necesse sit vocabula *εἰλαπίνη* et *εἰλαπινάζειν*, quod nihil aliud est nisi *εἰλαπίνην δαίνυσθαι*, injuria Eustathius monet in verbo *εἰλαπινάζειν*, quum de procis usurpetur a Telemacho non invocatis, notionem illam, quam *εἰλαπινῶν* propriam esse statuit, negligi. Quam leve autem sit argumentum, quod ex oppositione verborum *εἰλαπίνη* et *ἔρανος*[3]) petiverunt, quo illam notionem in verbo *εἰλαπίνη* semper inesse affirmarent, infra docebimus. Aliam quandam notionem intulit Terpstra, quem in cautissimorum observatorum numero habeo atque permagni aestimandum esse censeo. Is enim: *εἰλαπίναι*, ait, sunt epulae solennes, sumptuosiores, in sacris praecipue factae; unde Hesychius explicat *θυσία, ἑορτή*, et dii imprimis dicuntur *εἰλαπινάζειν* sive *εἰλαπίνην δαίνυσθαι*[4]). Quo jure vir doctus id contenderit non intelligo, praesertim quum loci Homerici sententiae ejus obstent[5]). *Εἰλαπίνη* igitur, ut, quid mihi videatur, repetam, nihil aliud est apud Homerum nisi epulum lautius a multis tumultuose nec satis moderate in-

1) *Κ*, 217. — 2) *ρ*, 536. — 3) *α*, 225. — 4) III, 4, 2.

5) Quinque locis *εἰλαπίνη* et *εἰλαπινάζειν* de hominibus usurpantur, duobus locis de diis, numquam de epulis, quae in sacris fiunt.

stitutum; *εἰλαπινάζειν* deinde est tale epulum celebrare et *εἰλαπιναστής* is, qui in eo conviva est[1]).

§ 3. *Ἔρανος.* Nullum fere vocabulum Homericum tantas difficultates interpretibus paravit, quam *ἔρανος.* Cujus vocis significationem qui penitus cognoscere vult, in memoriam redigat necesse est non eandem semper hujus vocabuli vim fuisse atque cavendum illi quam maxime est, ne eranis Homericis notionem quandam supponat ab illis temporibus prorsus alienam. Itaque hanc disquisitionem suscepturi minus, quam soliti sumus, ad veterum sententias redibimus, quippe quum illam temporum differentiam hi non satis respexerint; in ipsis Homericis potius locis recte atque accurate interpretandis versabimur nec non recentium, qui latius de ea re disputaverunt, sententias in judicium, ut ita dicam, vocabimus. Vox *ἔρανος* apud Homerum in Odyssea tantum reperitur ibique primum *α,* 226, quem locum supra exscripsi. Certi quidem nihil aliud ex illo loco potest concludi nisi *ἔρανον* fuisse convivium, quod longe aliter atque *εἰλαπίνην* et *γάμον* celebrare soliti essent non ita multi (*τίς ὅμιλος*) et quidem modeste ac moderate, non *ὑπερφιάλως ὑβρίζοντες.* Nitzschio, qui coenas solennes et extraordinarias hoc loco eranis opponi censet et inde concludit eranum inter vulgares coenas esse referendum, non assentior; nam *εἰλαπίνη* sollenne epulum non est et oppositio, quam hoc loco inter *γάμον καὶ εἰλαπίνην* et *ἔρανον* poeta expressit, in majore convivarum multitudine et insolentia sita est. Ne id quidem, quod

1) *P,* 577. Recte Athen. p. 362 *εἰλαπιναστάς* explicat *τοὺς τῶν εἰλαπινῶν μετέχοντας* esse nec non schol. *ἐν τῷ εὐωχεῖσθαι φίλους;* aliae vero explicationes ut scholiastae *σύσσιτος* et Hesychii *συμπότης, ὁμοτράπεζος* nimis latae mihi videntur esse.

Eustathius observavit, eranorum minorem quendam sumtum hic indicari, tu, si accurate vel potius etiamsi accurate locum inspexeris, invenire poteris. Falso denique Doederleinius[1]), dum vocem *δαίς* hoc loco ita interpretatur, ut sit hospitium, ad quod unus invitaverit, atque *δαιτί* opponi *ἔρανον* fabulatur, *ἔρανον* dicit coenam esse ex composito atque communi sumtu convivarum factam.

Sed transeamus ad alterum locum, qui exstat *δ*, 621 sqq.

(*ὣς οἱ μὲν τοιαῦτα πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον*)
δαιτυμόνες δ' ἐς δώματ' ἴσαν θείου βασιλῆος.
οἱ δ' ἦγον μὲν μῆλα, φέρον δ' εὐήνορα οἶνον.
σῖτον δέ σφ' ἄλοχοι καλλικρήδεμνοι ἔπεμπον.
ὣς οἱ μὲν περὶ δεῖπνον ἐνὶ μεγάροισι πένοντο,
(*μνηστῆρες δὲ πάροιθεν Ὀδυσσῆος μεγάροιο*) *κτλ.*

Hi versus cautissime in quaestione, quam tractamus, adhibendi sunt; non solum enim vox *ἔρανος* in iis omnino non legitur, ita ut in dubium vocandum sit, num re vera, ut plerique voluerunt, ad *ἔρανον* referendi sint, verum etiam multis causis demonstratur hos versus Homericos nequaquam esse. Equidem jam supra nonnulla protuli, quae suspicionem mihi in totam hanc rhapsodiam moverint, sed plura accedunt, quibus hos potissimum versus interpolatoris esse appareat. Neque enim parvi momenti sunt causae, quas Rasmussenius[2]) contulit. Nam quod *δαιτυμόνες* subito commemorantur, qui quales sint, unde venerint, quo abeant nemo suspicari potest, certe admirationem nostram atque dubitationem movere debet[3]); multum autem

---

1) s. v. *δαίς*. — 2) *περὶ τῶν ἐράνων* (Hafn. 1833).

3) Inde factum est, ut multa atque varia de his critici proferrent, ex quibus Eustathium et Vossium, qui coquos significari putaverunt, tacite omitto; Terpstra (III, 4, 2) *δαιτυμόνες* illi, inquit, qui fuerint

auget suspicionem in loco praeterea suspecto vocabulum καλλικρήδεμνος, quod numquam nisi hoc loco apud Homerum invenitur, atque verbum πένεσθαι, quod, quum soleat ubique cum accusativo conjungi, tantum hoc loco et ω, 412, ubi eundem versum legimus, praepositionem περί sibi arrogat. Quo loco, quamquam ne ille quidem liber est a suspicione veterum grammaticorum, qui extremam Odysseae partem Homero abjudicandam esse censuerunt, ne eodem quidem sensu verbum πένεσθαι usurpatur[1]).

Sed aliae causae accedunt. Est enim hic locus (δ, 621 sq.) praeterea lectionum varietate dubius, quum praeter Harlejanum codicem et editionem Romanam ceterae editiones veteres exhibeant ἔνεικαν, quod ad morem pertineret Homero plane ignotum. Quomodo denique hi versus, qui narrationis ordinem atque cohaerentiam prorsus turbant, locum habere possent apud poetam, qui certis rationibus et summa arte carmina sua composuit? Ergo non dubito versus inde a 622 usque ad 625 ejicere, quum praesertim jam Wolfius[2]), Schneiderus et Bekkerus illos versus pro spuriis habuerint. Deletis autem his versibus transitum habemus bonum atque Homero familiarissimum. Et quum

---

non satis liquet; verosimiliter fuerunt principes viri, forte γέροντες, qui cum rege epulari consueverant; Friedreichius (p. 250) convictores regis quotidianos denotari credit. At haec vana sunt atque mittenda. Vera vocabuli δαιτυμών explicatio ea est, quae ex ipsius vocis radice et collatis locis Homericis cognoscitur, nuper a Doederleinio (glossar. Hom.) proposita; est enim δαιτυμών is, qui coenat vel coenae particeps est, nostrum Schmauser, nihil aliud; quod etiam Hesychius probat, apud quem inter alias vocis definitiones legimus σύνδειπνοι, ἀριστηταί. Cf. ι, 7; θ, 66; η, 102. 148; κ, 452; χ, 12. Cf. οἰνοποιῆρες θ, 456.

1) ω, 412 est coenam sumere; δ, 624 est coenam parare.

2) Prolegg. p. 131. Epistola ad Heynium p. 9.

tam multa hoc suadeant, quid magis pro sententia nostra facere potest, quam quod eadem verba eodem ordine, quem statuimus, ϱ, 166 leguntur, ubi nulla omnino causa suspicionis est?

Quae cum ita sint, ex hoc loco propriam vocabuli ἔρανος vim Homericam intelligere nullo modo possumus, quamquam multi et veteribus temporibus et recentioribus exstiterunt, qui his potissimum versibus commoti dicerent ἔρανον Homericum nihil aliud fuisse nisi coenam collaticiam ita quidem institutam, ut convivae suam quisque partem conferrent [1]). Sed tale quid quominus statuamus, impedire videtur locus, quem nunc tractamus, λ, 414 sq.

οἵ ῥά τ᾽ ἐν ἀφνειοῦ ἀνδρὸς μέγα δυναμένοιο
ἢ γάμῳ ἢ ἐράνῳ ἢ εἰλαπίνῃ τεθαλυίῃ,

unde conclusit Eustathius ἔρανον interdum ab uno homine opulento et potenti datum esse convivis nihil contribuentibus. Tam ambiguum vocis usum apud Homerum non concedendum esse arbitror: aut mos fuit convivis ad eranos contribuere aut non fuit. Quoniam vero priore loco, eo quidem adulterino, dubitandum est, num re vera de erano agatur, quod interpretes sola auctoritate, nullis certis argumentis usi contenderunt, hic locus, quem tractamus, certe in constituenda vera explicatione majoris momenti esse debet. Quum hoc loco ἔρανος, γάμος, εἰλαπίνη ut similitudine quadam inter se conjuncta posita sint, apparet ἔρανον nequaquam, quod multi voluerunt [2]), in universum tenue et parcum conviviorum genus esse; sed erano neque luxuriae neque tenuitatis notio propria est. Et hoc quidem

[1]) Haec est explicatio scholiorum, Eustathii, Athenaei; deinde Holstii (de eranis veterum Graecorum, 1832), Nitzschii, aliorum.

[2]) Eustathius, Terpstra (III, 4, 2), alii.

loco primum docetur lautum quoque et copiosum convivium *ἔρανον* vocari, deinde erani proprium non esse, quod communi convivarum sumtu instituatur; nam inepti sermonisque Homerici prorsus ignari interpretis esset verba *ἐν ἀφνειοῦ ἀνδρὸς μέγα δυναμένοιο* non pariter ad *ἐράνῳ* atque ad *γάμῳ* et *εἰλαπίνῃ* trahere. Neque tamen inde sequitur hoc loco *ἔρανον* de ea coena positum esse, quae unius liberalitate vocatis convivis praebeatur; quo jure *ἐν ἐράνῳ ἀφνειοῦ κτλ.* dici possit, infra docebimus.

Ad eranos denique locum rettulerunt, ubi Telemachus procos alloquitur[1]):

— — *ἄλλας δ' ἀλεγύνετε δαῖτας,*
ὑμὰ κτήματ' ἔδοντες ἀμειβόμενοι κατὰ οἴκους.

Quae verba Holstius, qui cum Eustathio et Nitzschio *ἔρανον* eodem sensu, quem illi statuerunt, hic indicari sibi persuasit[2]), ita interpretatur: certum ordinem servasse videntur alternis vicibus se excipientes, praesertim si plus semel ad convivia ineunda iidem convenirent sodales. Sed Eustathius, dum addit has epulas *ἐκ τῶν παρ' ἑκάστοις κειμηλίων* factas esse, non solum suam ipsius et recentiorum sententiam dirimit, verum etiam docet, quomodo re vera illa verba intelligenda sint. Possent quidem ita accipi, ut ad coenas quasdam collaticias attinere putarentur, mihi tamen longe probabilius videtur de iis coenis cogitare, ad quas proci invicem se invitarent ea quidem ratione, ut unus quisque eorum ceteros apud se exciperet et idem ex ordine repeterent. Hoc inter homines fieri solet neque opus est ejusmodi epulas pro certo quodam conviviorum

---

1) *α*, 374 sq.

2) Hesychius quoque, quum *ἔρανον* explicat *ἢ ἐκ συμβολῆς ἢ ἀνὰ μέρος δεῖπνον,* hanc sententiam proferre videtur.

genere habere. Eranos contra Telemachum suadere procis superbientibus ex iis, quae adhuc de eranorum natura statuimus, ineptum esset.

His igitur locis, qui vulgo eranorum naturam docere feruntur, quam potuimus diligentissime explicatis atque inter se comparatis id potissimum, opinor, vidimus haec omnia parum conferre ad vocabuli *ἔρανος* vim accurate constituendam. Jam videamus, num forte alia ratione aliquid proficiamus. Rasmussenius opinionem, quam Nitzschius[1]) nonnullis annis antea protulerat, recipiens, postquam paullum eam circumscidit, dubitanter suspicatus est *ἐράνους* cum conviviis *γερόντων* esse componendos atque easdem fortasse coenas fuisse. Haec comprobari nullo modo posse, nisi Iliadem aetate aliquanto priorem fuisse statuas, quam Odysseam, per se intelligitur; quum enim vox *ἔρανος* in Iliade non reperiatur, necesse est, si huic conjecturae fidem quandam vindicare volumus, eam vocem compositae Iliadis tempore aut omnino nondum exstitisse aut de ejusmodi epulis nondum in usu fuisse. Mihi quidem quum et hoc ita se habere et Iliadem prius compositam esse probabile sit, ad examinandam illam opinionem aggredior et primum quidem de coenis *γερόντων* earumque natura disseram.

Mos erat veterum Graecorum, ut *γέρουσι*[2]), qui etiam *ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, ἀριστῆες, ἄριστοι* et *διοτρεφέες βασιλῆες* apud Homerum nominantur, epulae praeberentur[3]) apud regem instituendae[4]), qui ipse semper interfuisse et

---

[1]) I. p. 41 sq.

[2]) cf. quae N. I. p. 68 docte de iis disseruit; Terpst. II. 6, 1.

[3]) schol. ad I, 70.

[4]) I, 70: *δαίνυ δαῖτα γέρουσιν· ἔοικέ τοι, οὔ τοι ἀεικές.*

ex suo arbitrio certum convivarum numerum elegisse videtur ea quidem ratione, ut aut non omnes γέροντας[1]) vocaret aut alios, qui propie γέροντες non erant, in convivium adhiberet, quod sibi dilecti erant aut praeclara facinora fecerant[2]). Idem ex ipsis convivis singulos praeter ceteros honorabat vino largiore et cibis delicatioribus[3]) nec non insignis honor fuit, primum ad eas epulas vocari[4]). Institutae esse videntur coenae γερόντων duabus potissimum de causis, tum ut remuneratio quaedam essent, tum ut novarum consultationum occasionem praeberent[5]). Conveniunt igitur γέροντες in praetorio vel regia ibique sumta coena consilia habent aut remanentes, ubi coenaverant, aut in senatum se conferentes[6]). Uno quoque die tamen epulas eas fuisse habitas neque veri simile est neque versibus *ν*, 9 vel *ο*, 466 sq. demonstratur[7]). Quoniam autem epulae illae salutis publicae potissimum causa institutae fuerunt et ad rempublicam gerendam spectaverunt, consentaneum fuit populi sumtibus eas parari. Regem enim et γέροντας, qui juris dicendi munere fungerentur, praemio quodam atque, ut ita dicam, remuneratione a populo ornari justum

---

1) *B*, 402 sqq. ii γέροντες enumerantur, qui proprie ab Agamemnone ad eas epulas vocari soliti sunt. Sed cf. *Δ*, 343 sqq. ibique schol.; *η*, 189.

2) cf. *K*, 217. — 3) *Δ*, 259. 345; *H*, 321. — 4) *Δ*, 343.

5) *I*, 74. Hanc causam schol. ad *I*, 70 affert atque eundem morem Persis et Rhodiis fuisse addit. Simile aliquid de Germanis tradidit Tacitus. — 6) *ο*, 466 sq. Homerus accurate discernit θῶκον vel βουλήν et ἀγοράν vel δήμοιο φῆμιν; *ο*, 468. cf. *B*, 50 sq. et 53. Θῶκος, antequam ἀγορή fit, instituitur.

7) *ο*, 466 non de quotidianis regis convictoribus, sed de ejus consiliariis sermonem esse mihi persuasi idque verbis οἵ μεν πατέρ' ἀμφεπένοντο, quae N. minus probabiliter mea quidem opinione ad coenas praeparandas rettulit, confirmari existimo.

esse videbatur; neque id immerito. A singulis vero pro singulis judiciis praebitae coenae metuendum erat, ne judicum animos ad studium partium compellerent[1]); duo deinde auri talenta, quorum Σ, 507 mentio fit, non solitum, sed extraordinarium praemium judicio probatissimo proposita sunt. Nihil igitur probabilius est, quam coenas illas a populo instituendas[2]) praemio et quasi remunerationi judicibus fuisse, quod multis locis bene confirmatur, imprimis β, 76 sq., ubi Telemachus *γέροντας* (v. 51) ita alloquitur: si vos quidem apud me epulas celebraretis, mox damnum restituerem; tum enim sumtus in urbe (igitur a populo) exigerem. Alio loco *ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες* dicuntur *δήμια πίνειν*[3]); populus enim in summi ducis tentoria vinum confert[4]), *οἶνον γερούσιον*[5]), regi et *γέρουσι* bibendum. Itidem Nestor[6]) Agamemnonem, ut epulum *γέρουσιν* instituat, admonens addit plena ei tentoria esse vini ab Achivis allati omnesque copias ad convivarum exceptionem necessarias (*πᾶσα ὑποδεξίη*) ei suppetere[7]), quippe quum

---

1) Ita acute monuit N. III. p. 218.

2) Non spectant ad hunc morem, quae λ, 185 sq. de Telemacho dicuntur. Hic locus plane Homericus non est. Nitzschius, postquam multa docte et accurate de eo disseruit, tandem de apta interpretatione desperans *κομέουσι* pro *καλέουσι* legere vult ne eo quidem remedio feliciter usus. Causis ab eo prolatis addas, si volueris, ineptum esse *δικασπόλον ἄνδρα* nominari Telemachum, qui tunc temporis quartum aetatis annum nondum egressus erat et ipse postea profitetur (β, 26 sq.) inter patris absentiam numquam concionem, in quibus scilicet jus dicebatur, esse habitam.

3) P, 250 cf. schol.: *δήμια*, quae ex publicis opibus regibus tribuuntur. — 4) I, 71 sqq.

5) cf. schol. ad Δ, 259. Hesychius explicat *τὸ τοῖς ἐντίμοις κατὰ γέρας δεδομένον.* — 6) I, 70 sqq.

7) In bello praedae etiam partem ad eas epulas fuisse repositam

multis imperet (multi igitur ad illam ὑποδεξίην conferant). Afferre denique pro nostra sententia placet verba ὁππότε δαῖτα γέρουσιν ἐφοπλίζωμεν Ἀχαιοί (Δ, 344), ubi tamen fortasse legendum est Ἀχαιῶν; sin vulgarem lectionem retinemus, ex his quoque verbis intelligimus illas epulas sumtu populi, sive is cibum potumque contribuerit sive impensas regi reddiderit, paratas fuisse. Inde factum est, ut lautiora illa convivia essent, quo magis res populi florerent[1]); fortasse etiam verbis δαίτῃσι καὶ εἰλαπίνῃσιν[2]) significatur illa pro tempore et occasione partim lautiora, partim parciora fuisse. Mirum forte videtur, quod, quum ἀοιδός in γερόντων Graecorum conviviis numquam adsit, illius in ejusmodi Phaeacum epulis mentio fiat[3]). Sed nescio an Homerus Phaeacas molliores vitaeque delicatiori deditos depingere voluerit atque hoc consilio ductus finxerit eos confectis rebus gravioribus voluptati se dedisse atque oblectamentis animorum, praesertim quum eorum γέροντες haud raro ad excipiendos hospites in ejusmodi epulas convenirent. Unde autem factum sit, ut Areta regina in his coenis Phaeacum interesse posset, e singulari ejus honore atque auctoritate perspicitur[4]).

Postquam ita et ἐράνων et γερόντων coenarum naturam quam potuimus accuratissime definivimus maximamque similitudinem inter eas coenas interfuisse vidimus, nostro jure contendere possumus utrarumque coenarum naturam eandem esse. Utramque enim paucis dari cognovimus,

---

credimus scholiastae ad Δ, 259. Neque enim in bello tantum conferre populus poterat, quantum in pace.

1) η, 99: ἐπηετανὸν γὰρ ἔχεσκον.

2) Κ, 217, cf. supra cap. III. § 2. — 3) ν, 9.

4) cf. η, 53 sqq., imprimis v. 73 sqq.

utramque modeste ac moderate et apud regem institui, in utraque notionem *συμβολῆς*, quam veteres statuerunt, inesse, dummodo non de convivarum, sed de populi collatione cogitetur[1]).

Quae cum ita sint, restat, ut, quomodo vocabuli *ἔρανος* vim et notionem variis temporibus mutatam esse censeamus, paucis explicemus. Videtur enim tempore illo, quo Ilias confecta est, etsi res nota erat, vocabulum nondum exstitisse, sed demum eo tempore, quo Odyssea composita est, in usum venisse atque ita usurpatum esse, ut conferendi notio, quae in illo inerat, ad populi collationes pertineret. Deinde autem, quum mos ille exolevisset, primitiva illa notio retenta est, ita tamen, ut ad convivarum collationes revocaretur.

§ 4. *Γάμος.* Inter coenas extraordinarias praeterea *γάμος*, coena nuptialis, apud Homerum memoratur, sed tam strictim, ut fere omnia, quae de ea dicenda sunt, conjectura assequamur. Primum jam de convivis, qui invitari soliti fuerint, dubii sumus; quum enim ex *T*, 299[2]) certum esse videatur populum interfuisse, ex alio loco[3]) contrarium sequitur. Aut igitur statuendum est priore loco verbis *μετὰ Μυρμιδόνεσσιν* nihil aliud significari nisi apud Myrmidones, in Myrmidonum terra aut, quod mihi probabilius est, certum in ea re morem non valuisse. Majores difficultates *δ*, 3 sqq. exsistunt, ubi narratur Menelaum coenam nuptialem dedisse *πολλοῖσιν ἔτησιν.* Quinam fuerint illi

---

[1]) Ex iis, quae de coenis *γερόντων* disputavimus, etiam versum *λ*, 415 melius nunc interpretari poterimus neque coenam illam ab uno praebitam neque communi convivarum sumtu factam rati.

[2]) Ex hoc loco videmus etiam in secundis viduae nuptiis coenam nuptialem esse institutam (cf. *ψ*, 131 sqq.) et amicum sponsi interdum curandae coenae negotium suscepisse. — [3]) *ψ*, 131 sqq.

ἔται minus feliciter, ut mihi videtur, viri docti demonstrare conati sunt atque ne Nitzschii quidem, qui accuratissime hanc rem tractavit, disputationis summa nobis probanda est. Concedimus sane id facile fieri potuisse in eo loco, qui plane corruptus est[1]); attamen, quoniam ad constituendum Homericum usum vocabuli ἔται, quod varie explicatur, aliquid nos collaturos speramus, hanc quaestionem multum atque diu agitatam denuo suscipimus. Id primum constare mihi videtur operam perdere eos, qui certos quosdam homines eo verbo significari censeant; veterum enim explicationes atque ipsi loci Homerici abunde docent latissimam ejus vocabuli vim et potestatem fuisse. Ita *Z*, 239, quum Hector ex proelio venisset,

ἀμφ' ἄρα μιν Τρώων ἄλοχοι θέον ἠδὲ θύγατρες
εἰρόμεναι παῖδάς τε κασιγνήτους τε ἔτας τε
καὶ πόσιας.

---

[1]) Hoc jam vidit Diodorus, Aristophanis Byzantii discipulus (cf. Athen. X. p. 218), cujus sententiam si Nitzschius, in retinendis locis Homericis nimis religiosus, accepisset, multam operam non perdidisset. Ut omittam, quae aliis locis jam de hujus rhapsodiae interpolatione atque suspecta forma attuli, haec addo. Qui rhapsodiae initium defendere voluerint, statuere debebunt hospitum adventu coenam nuptialem aut finitam aut omnino in Menelai domo non celebratam esse; quorum neutrum accipi potest propter verba τὸν δ' εὗρον δαίνυντα, quae nemo nisi insanus ita explicare potest: illum reperiebant, postquam coenam nuptialem exegit, vel postero die eam daturum vel extra domum praebentem, quum ipse in domo sit. Versus deinde a septimo decimo usque ad vicesimum ejiciendos esse N. quoque concedit (I. p. 233. cf. Athen. IV. p. 280 sqq. et Heynium). Si vero cum Diodoro omnia, quae de nuptiis hoc loco dicantur, interpolatoris esse, itaque versus 3—19 ejiciendos nobis persuaserimus, ne primum et secundum quidem versum retinere possumus, quibus versus vicesimus male annecteretur. Remedium vero quaerere in hac rhapsodia frustra esset.

Quo loco ἔται certissime tales sunt, qui summa necessitate cum sciscitantibus mulieribus conjuncti sunt, nam cum liberis, fratribus et maritis componuntur et, quod haud parvi momenti est, post proelium de iis mulieres sciscitantur. Itaque non inepte Faesius opinatus est fortasse sponsos et amatos juvenes esse intelligendos. *Π,* 456, ubi *κασίγνητοί τε ἔται τε* Sarpedonem humaturi esse dicuntur, dubium est, utrum ἔται ceteri cognati praeter *κασιγνήτους* sint an cives; *I*, 464 verbis *ἔται καὶ ἀνεψιοί* sodales et propinqui Phoenicis intelligendi esse videntur, quum *H,* 295 ἔται et ἑταῖροι, quamvis minimo discrimine, distinguendi sint; latissimo denique sensu haec vox *Z*, 262 usurpatur de iis, quos Hector defendit; ibi enim ἔται possunt cognati, familiares, cives esse. Ergo optime Passovium vocis vim ita definivisse existimo, ut sint omnes ii, qui arctius nobiscum conjuncti sunt[1]) sive propinquitate sive familiaritate, itaque iidem fere, quos Latini necessarios vocant. Haec explicatio etiam vocabuli etymo, sive ab ἔθος sive ab ἦθος vocem ducis, defenditur; inde enim ἔται sunt illi, quibuscum nobis usus et consuetudo est, id est propinqui aut familiares.

Jam si haec ad locum, unde profecti sumus, transferimus, admodum probabiles coenae nuptialis convivas invenimus neque nobis viri docti sequendi sunt, qui vel convivas ἐράνων regisque convictores vel cives regiae familiae deditos significari putabant atque inde audacius, ut Nitzschius, his proprio nuptiarum die neglectis postero die, ut et ipsi solennium participes essent, coenam praeberi solitum fuisse conjiciebant, ad *δ,* 3 sqq. potissimum pro-

[1]) Die Angehörigen. Nimis angustis finibus N. et Doederl. vocabulum circumscripserunt.

vocantes[1]), quem locum nihil demonstrare supra vidimus. Ut illorum igitur coenas omittamus, jam videtur constare nuptiarum die coenam nuptialem esse paratam et quidem vespere, postquam sponsa collucentibus facibus ad sponsum ducta est, in hujus ejusve patris domo[2]). Coena ipsa magnifice et tumultuose[3]), sicut laetus nuptiarum dies postulabat, a multis convivis celebrabatur. Omnes, qui aderant, vestibus sollennibus ornati erant[4]); post coenam convivarum animi cantu atque saltatione delectabantur.

§ 5. *Τάφος.* Epulum funebre apud Homerum ab eo, qui mortuo erat genere aut familiaritate proximus[5]), instruebatur non propinquis, sed populo, ut ab Oreste Argivis, ab Achille Myrmidonibus, a Priamo Trojanis. Utrum duae ejusmodi epulae statuendae sint an interdum ante funus, interdum postea tale epulum celebratum sit, incertum est[6]); utrumque enim apud Homerum reperitur[7]), numquam vero duae epulae funebres de iisdem memorantur. Erant illae epulae largae et copiosae, nam boum, ovium, capellarum suumque multitudo ad eas mactabatur[8]). Causa hujus moris non, ut Friedreichius voluit[9]), ea fuit, quod remedium doloris ex illis quaererent, nam qui luctu maxime occupati erant, non intererant, neque quod vires

[1]) Quomodo etiam ex *T*, 299 N. hoc confirmare velit, equidem non intelligo. — [2]) *Σ*, 491. Falso ad nuptias rettulit Friedr. p. 202 ea, quae *σ*, 278 dicuntur. — [3]) *Σ*, 491: *εἰλαπίναι* (cf. supra); *λ*, 415. cf. 413; *α*, 226. — [4]) *ψ*, 131 sqq. — [5]) *γ*, 309; *Ω*, 802; *Ψ*, 29.

[6]) Caute igitur schol. ad *Ψ*, 29: *τὸ δεῖπνον τὸ περὶ ταφὴν γινόμενον.*

[7]) Ita *Ψ*, 29 post lamentationem, sed ante funus ludosque funebres *τάφος* sumitur; *Ω*, 802 contra, postquam funebria omnia peracta sunt cf. v. 665. Hi duo loci sibi non bene respondent.

[8]) Neque enim fames relictorum mortuum juvat: *T*, 225. — [9]) p. 195.

funere confectas recrearent, sed quod sollennibus coenis ludisque debitum quendam honorem mortuis referri censebant[1]), quem negligere nefas esse arbitrabantur. Hoc Orestis exemplo docetur, qui vel in inimicissimi Aegisthi atque invisissimae matris honorem *τάφον* instituit[2]).

§ 6. *Ὀδοιπόριον* et *θαλύσια*. *Ὀδοιπόριον*[3]) ea coena erat, quae post navigationem feliciter peractam nautis apponebatur, ut operae praemium esset[4]). Commemorantur denique *θαλύσια*[5]), dies festus, quo frugum primitia et hecatombae diis omnibus offerebantur post perfectam messem. Epulae autem in ipso agro celebratae inter eas referendae sunt, quas post sacra praecipue sollennia e reliqua victimarum carne solebant parare.

§ 7. ***Epulae post sacra factae.*** Postquam varia coenarum Homericarum nomina et genera attulimus, restat, ut pauca addamus de iis coenis, quae post sacra diis oblata apparari solebant. Sacra enim, ut recte monuit Terpstra[6]), in iis, quae conviviis ineundis occasionem praebuerunt, praecipue censenda sunt neque ulla sacrificia

---

1) cf. schol. ad *Ψ*, 29. — 2) *γ*, 309. Religione quadam obstrictum, non indulgentia illum ad eam rem commotum fuisse mihi quidem certissimum est. cf. N. I, 204. — 3) *ο*, 506.

4) Omnino mos illis temporibus videtur fuisse *δημιοεργούς* coenis pro labore remunerari, quod imprimis docetur *ρ*, 382:

τίς γὰρ δὴ ξεῖνον καλεῖ ἄλλοθεν αὐτὸς ἐπελθών
ἄλλον γ', εἰ μὴ τῶν οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν,
μάντιν ἢ ἰητῆρα κακῶν ἢ τέκτονα δούρων
ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδόν, ὅ κεν τέρπῃσιν ἀείδων;

cf. *ο*, 316 et N. I. p. 218. Secundum similem quandam rationem fortasse defendi possit *Ψ*, 810, quem versum plerique ut Homericis moribus alienum ejecerunt. cf. § 3.

5) I, 534. cf. Preller. Gr. Myth. I, 475. — 6) III, 4, 3.

sine conviviis apud Homerum reperiuntur[1]) exceptis, quae in jure jurando fiebant. Sacrificia primitus erant coenae, ad quas dii ab hominibus invitabantur atque ut honoratiores convivae excipiebantur, unde etiam apud Homerum epulae post sacra institutae *δαῖτες θεοῦ* vel *θεῶν* nominantur[2]) convivaeque sibi quasi cum diis epulari videntur[3]), qui re vera iis coenis delectati esse dicuntur[4]) atque vel ipsi apud eos, quos maxime amant, hominum habitu cum sacrificantibus epulantur[5]). Cavendum tamen est, ne modum excedamus cum Athenaeo statuentes convivia omnia causam et originem a sacris duxisse[6]). Fuerunt autem quaedam illarum epularum propria, quapropter inter certa conviviorum genera bene possunt referri. Et celebrabantur quidem epulae, postquam sacra perfecta erant, ab omnibus, qui sacris interfuerant, atque opimae et copia insignes esse solebant, in noctem tamen propter verecundiam diis debi-

---

[1]) Quare non inepte Friedreichius conjecit vel in numero victimarum rationem potissimum eorum habitam esse, qui epulas deinde essent celebraturi. — [2]) *γ*, 335. 420. — [3]) schol. ad *Γ*, 310.

[4]) *Α*, 423 sq.; *Ι*, 535; *Ψ*, 207; *Ω*, 62 sq.; *α*, 25 sq. — [5]) *η*, 203.

[6]) Athen. V. p. 192 B: *πᾶσα συμποσίου συναγωγὴ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν αἰτίαν ἀνέφερε εἰς θεόν.* Hoc quodammodo rectum est, modo ne ad Homeri carmina id referas. Vestigia tamen hujus moris apud Homerum supersunt. Inter alia vox *ἱερεύειν*, quae proprie ad mactandas victimas spectabat, interdum quidem ita usurpatur, ut nihil sit nisi pecudem mactare ad coenam, ubi de sacris omnino non cogitandum est (*β*, 56; *ω*, 215; *ρ*, 180 cf. 182; *ξ*, 74), sed etiam vi propria ita quidem, ut cum duplici dativo soleat conjungi, quorum alter dei est, in cujus honorem sacra instituuntur, alter hominum, qui sacrorum atque epularum participes sunt; sic *Η*, 314:

τοῖσι δὲ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
ἄρσενα πενταέτηρον ὑπερμενέι Κρονίωνι.

cf. *ν*, 24 sq. *Β*, 403.

tam non videntur prolatae esse[1]), fortasse ne insolentia et luxuria, quae in conviviis diu celebratis facile oriuntur, deos offenderent.

CAPUT IV.

DE TRICLINIO ET LOCIS.

§ 1. *Triclinium quomodo instructum fuerit.* Terpstra[2]): »aula superata, inquit, intrantibus adversum tenet primaria totius aedificii pars, *τὸ μέγαρον*[3]), in quo domi desides viri degunt, sese conveniunt, epulantur et hospites amice exceptos liberaliter quacumque ratione honorare certatim student.« Cujus conclavis praeter ea, quae singula diversis locis afferuntur, descriptionem uberiorem habemus *η*, 95—102 caute saltem tractandam ei, qui triclinia Homerica restituere, ut ita dicam, voluerit; quae enim de Phaeacibus commemorantur fere omnia mira atque singularia sunt. Jam primum triclinii pavimentum, *δάπεδον*, non lapidibus stratum fuisse, ut Terpstra collatis vocabulis *κραταίπεδον οὖδας* et *λάϊνον οὐδόν* minus recte concludit, sed e calce potius vel luto vel humo inculcata constitisse videtur; certe *φ*, 120 sqq.; *χ*, 329, 383, 455 nostrae magis quam Terpstrae sententiae favent. Erat vero *δάπεδον* arte quadam factum[4]) et apud deos, ut fere omnia deorum, aureum[5]). Ipsum *μέγαρον* egregio splendore, praesertim apud reges, erat exornatum[6]). Quattuor parietes conclave circumdabant, quorum in iis, qui intranti a dextro

---

1) *γ*, 335 sq. — 2) III, 11, 5.

3) Etiam *δῶμα* vocatur; sic *η*, 139.

4) *τυκτόν* (*ρ*, 167). — 5) *Δ*, 2. — 6) *δ*, 71 sqq.

et sinistro latere erant[1]), sedilia erant fixa[2]) ἐς μύχον ἐξ οὐδοῖο διαμπερές, ita ut media conclavis pars pateret satisque loci relinqueretur ministrantibus. Si praeterea sedibus opus erat, eae afferebantur, ut morem fuisse reperimus ἀοιδῷ θρόνον ad columnam collocare eique applicare[3]), quo fiebat, ut ἀοιδός esset μέσσῳ δαιτυμόνων[4]) atque ab omnibus melius posset audiri et conspici. Ceterum columnae per μέγαρον dispositae in Odyssea tantum commemorantur ea forsitan de causa, quod in Iliade omnino non regiae, sed tabernacula describuntur. Cavendum certe est, ne ex eo nimis temere Iliadem prius compositam esse statuas, quod multi fecerunt[5]). **Κίονες** autem illae etiam pilas parietibus insertas comprehendunt, quae μεσόδμας[6]) id est μεσόστυλα (intercolumnia), ex Aristarchi interpretatione, efficiunt.

§ 2. ***De certis locis.*** Convivas, imprimis regem et reginam, deinde ἀοιδόν et θυοσκόον, craterem etiam et focum certos locos habuisse fere constat, sed quaestio de ea re difficillima est. Mihi quidem, quamquam omni cogitandi vi in hanc rem incubui, non contigit ea, quae de singulis locis Homerus tradidit, ita ad unam descriptionem componere, ut repugnaret nihil, omnia bene inter se concinerent. Hoc libere professus satis habebo singula attigisse

---

1) ἔνθα καὶ ἔνθα. cf. N. II, 145; Plat. Tim. p. 79 E.

2) ἐρηρέδατο (η, 95). Numquam, quod de mensis saepe memoratur, coenaturis apponi sedilia dicuntur.

3) θ, 65 sqq. In statuenda verbi ἐρείδειν significatione sive figendi sive acclinandi imprimis ad praepositiones ἐν et πρός verbo illi appositas respiciendum erit.

4) θ, 66. 473. In medio igitur conclavi alta illa columna stabat.

5) cf. Terps. III, 11, 5. — 6) τ, 37; υ, 354.

eorumque compositionem ei relinquo, qui acriore ingenio et majore fortuna hanc rem tractandam suscipiet. Quae igitur certa mihi visa sunt, ea proferam. Prope parietem conclavis introitui oppositum, qui videtur certo vocabulo *τοῖχος ἕτερος* appellatus fuisse[1]), rex, convivii praeses, sedere solebat[2]) juxta reginam, cujus locus ita descriptus est: sedet ex adverso coenantium juxta *σταθμὸν μεγάροιο*[3]), *ἐπ' ἐσχάρῃ*[4]), *ἐν πυρὸς αὐγῇ κίονι κεκλιμένη, δμωαί οἱ εἵατ' ὄπισθεν, βασιλῆος θρόνος ποτικέκλιται αὐτῇ*[5]); qui ad eam ex aula veniens accedere vult, ei conclave transgrediendum regisque sedes praetereunda est[6]). In eodem pariete et focus[7]) est et gynaecei ostium. Quod autem spatii relictum erat in hac triclinii parte, id illis negotiis datum est, quae ad apparandam coenam spectant. Ibi enim *δαιτρός* sedisse putandus est, ibi *κρεῖον* collocatur et mensa culinaria, pecudes mactantur et ad coenam praeparantur, ibi denique sedet *θυοσκόος* juxta craterem *μυχοίτατος αἰεί*[8]).

---

[1]) Alioqui non apte vox *ἕτερος* poneretur, quum alius murus non opponatur, nisi quem animo supplere simplicissimum est, eum dico, in quo introitus *μεγάρου* est. cf. *I*, 219; *Ω*, 598; *ψ*, 89: *ἐν πυρὸς αὐγῇ τοίχου τοῦ ἑτέροιο.*

[2]) ζ, 308 sq. Eundem locum omnino herus habet cf. *I*, 218 sq. *Ω*, 598.

[3]) ϱ, 96. — [4]) ζ, 52, 305; η, 141. cf. 153. — [5]) ζ, 305 sqq.

[6]) ζ, 304 sqq. 310; η, 139 sq.

[7]) η, 139 sq. cf. 153: est focus regi et reginae proximus.

[8]) In explicando vocabulo *μυχοίτατος*, quia ejus notio latius patet, multum atque diu interpretes versati sunt atque valde inter se dissentiunt. Nos ex quattuor triclinii angulis duos tantum illos ad quaestionem revocari posse censemus, qui in posticis partibus siti intrantibus a sinistra et a dextra sunt; hac autem ratione η, 96 et χ, 270 *μύχοι*, limini oppositi, sine dubio intelligendi sunt. Quod vero multi putant

Ceterum non negligendum est, quem quisque locum inter coenam habuerit; certum enim sedendi ordinem illos homines jam observasse negari non potest. Qui mos, praeterquam quod vocabulo *ἑξείης* saepe repetito indicari videtur, diserte ab Homero confirmatur, ut Plutarchus (Symp. p. 438 sq.) jam monuit: Alcinous hospitem juxta se collocat in locum dilecti recipiens. Etiam apud deos sedium discrimen est. Neptunus enim, quamquam ultimus venerat in concionem, nihilo minus in medio consedit, nimirum hoc loco ei conveniente. Minerva videtur eximium hunc locum habuisse, ut semper Jovi proxime adsideret. Idque poeta innuit de Thetide dicens: *ἡ δ' ἄρα πὰρ Διὶ πατρὶ καθέζετο, εἶξε δ' Ἀθήνη.* Huic observationi Plutarchi addi possunt alia. Proximos sibi herus eos collocare solet, quos maxime diligit atque honorare vult[1]); ita hospites honoris causa locum nanciscuntur juxta herum ejusque filium natu maximum[2]), et heroes, ut carne et vino, ita sede honorantur[3]). Restat, ut, quod egregie Homeri pietatem coenarumque sanctitatem demonstrare vi-

---

θυοσκόον sedisse adversus introitum in medio pariete postico atque juxta gynaecei ostium, quam maxime dubitandum videtur, num hic locus *μύχος* dici possit. Si vero illorum angulorum alterum *θυοσκόῳ* assignamus, ne craterem quidem, qui juxta *θυοσκόον* locum suum habuit, cum schol. ad *φ*, 142 intranti a sinistra in antico pariete collocatum fuisse judicamus. Neque repugnant *χ*, 333 (cf. 341) et *φ*, 166; sed duas potius vel plures *ὀρσοθύρας* in triclinio fuisse statuemus, quam nostram sententiam bene confirmatam mutabimus.

1) *η*, 167 sq.; *θ*, 469.

2) *γ*, 39. Ex filiis Nestoris Thrasymedes solus atque Antilochus, qui proelio ceciderat, patrem secuti erant contra Trojam proficiscentem.

3) *ἕδρῃ* (*Θ*, 161 sq.), quod minus recte Terpstra (III, 5, 2) pro *προεδρίᾳ* dictum esse vult; sed honor verbo *τίον* exprimitur.

detur, apud deos Themidem coenis praefuisse[1]) commemoremus.

§ 3. *De triclinii illustrandi et calefaciendi ratione.* Quum fieret, ut in noctem producerentur convivia, luminibus igitur opus esset, non defuerunt *λαμπτῆρες*, apparatus quidam, in quibus ignis alebatur, forma nobis ignota; namque tam pretiosos atque artificiosos, quam qui apud Alcinoum fuerint, in cujus triclinio

χρύσειοι (δ') ἄρα κοῦροι ἐνδμητῶν ἐπὶ βωμῶν
ἕστασαν αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες,
φαίνοντες νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσιν[2]),

in vulgari usu fuisse non arbitramur[3]). In illos apparatus ligna sicca et taedas ardentes conjiciebant ancillae atque flammas alebant ea ratione, ut, ubi materia consumpta esset, carbones exustos dejicerent et denuo ligna cumularent[4]), quod negotium, quum convivae interdum in multam noctem morarentur, haud facile erat[5]). Non solum vero illustrando conclavi, sed etiam calefaciendo *λαμπτῆρες* inserviebant[6]), unde probabile est caminorum usum Homero ignotum fuisse[7]). *Λύχνοι,* quorum praeterea mentio fit, exeuntibus potius praelati esse, quam triclinia collustrasse videntur.

§ 4. *De fumi meatu.* Fumum multum illa illustrandi ratione ortum esse manifestum est atque eo quoque confirmatur, quod *μέγαρον* et *μέλαθρον* fuligine tecta appel-

---

1) ο, 95. — 2) η, 100 sqq. De aureis juvenibus cf. N. II, 143 sq.
3) Simpliciores jam apud Ulixem sunt cf. σ, 306 sq. ibique schol. et Eustath. — 4) σ, 307 sq.; τ, 63 sq. — 5) σ, 317 sq. — 6) τ, 64.
7) Illa *γρηῢς καμινώ* (σ, 27), quae quorsum pertineat incerti sunt interpretes, nescio an ad furnos referenda sit, in quibus panis coquebatur.

lantur[1]) et arma e conclavi auferuntur, quia propter fumum aliam plane speciem induerunt[2]). Foramine igitur, per quod fumus escendere posset, lacunar ejus conclavis, ubi coenare et maximam diei partem versari solerent, instrui necesse erat, praesertim quum fenestrae non adfuisse videantur. Hoc praefati ad locum tractandum transeamus, quem huc pertinere mihi persuasum est. Legimus enim *α,* 319 sq.

ἡ μὲν ἄρ' ὣς εἰποῦσ' ἀπέβη γλαυκῶπις Ἀθήνη,
ὄρνις δ' ὣς ἀ ν ο π α ῖ α διέπτατο.

Aristarchi explicatio, cui *ἀνόπαια* videtur *εἶδος ὀρνέου ἀετώδους* esse, non admodum verisimilis mihi est; aquilae enim, sicut *αἰγυπιοί* (*H,* 59) aptius sub divo, quam in conclavi commemorantur[3]). Herodiani deinde explicatio Passovio probata *ἀνοπαῖα* esse adverbialiter positum idemque significare quod clam, non visa et propter verbi etymon, quod statuerunt, et propterea quod, quum Minerva cum ave comparetur, certa imago oculis opponitur, rejicienda est. Neque cum aliis *ἀνοπαῖα* per vocem sursum explicandum esse videtur. Plurimum probabilitatis habere lectionem *ἀν' ὀπαῖα* (per fumi meatum) Nitzschius[4]) bene exposuit, quamquam ipse eam non admodum probandam censet, praesertim quod solum verbum *διέπτατο* sine ullo additamento melius ponatur. Concedo equidem verbum *διαπέτεσθαι O,* 83 et 172 ita usurpatum esse, ut nihil aliud significet nisi avolare, sed alterius etiam usus exemplum exstat *E,* 99. Hac igitur explicandi ratione comprobata in medio tecto foramen, *ὀπαῖα* dictum, fuisse non dubito cum Eustathio statuere.

---

1) *χ,* 239; *B,* 415. — 2) *π,* 288 sqq. — 3) cf. *χ,* 240. — 4) ad l.l.

CAPUT V.

QUAE IPSAS COENAS ANTECESSERINT.

§ 1. *De mactando.* Solebant pecudes ita mactari, ut eorum jugula cultro (*μάχαιρα*), quem heroes juxta gladium suspensum gerebant[1]), aperirentur[2]), ad quem mactandi modum verbum *σφάζειν*[3]) proprie spectare videtur. Utrum ad sola sacrificia pertineat[4]) an propter pecudum vires et magnitudinem institutus fuerit mos ille, quo bubus immolandis nervi cervicis superne dissecantur[5]) et sues clava querna sternuntur[6]) priusquam mactentur (*σφάζεσθαι*), dubitamus. Mactatis pecudibus primum pelles detrahebantur, porcis subusque setae amburebantur; deinde videntur viscera exemta esse. Ita enim interpretandum puto verbum *διαχεύειν*, quod secandi notionem, quae vulgo ei tribuitur, habere non posse mihi persuasi. Namque primum, quum tam accurate Homerus nonnullis locis[7]) singula mactandi negotia enarret, haud facile exenterandi operam commemorare omiserit; deinde, si vulgaris explicandi ratio retineretur, duobus verbis idem exprimeretur. Discrimen enim, quod inter *διαχεύειν* et *μιστύλλειν* semper fere una posita artificiose statuerunt, ut *διαχεύειν* in universum sit

---

1) *T*, 252. cf. Lehrs. dissert. II. s. v. *μάχαιρα*. Plerumque *χαλκός* nominatur. — 2) *T*, 266. cf. *Γ*, 292. — 3) *γ*, 454; *I*, 466; *ξ*, 426.

4) ut ad sola sacra attinet caesi bovis caput sursum tollere et pateram ad excipiendum sanguinem admovere (*γ*, 444. 453; *Α*, 459.

5) *γ*, 449. cf. schol. ad *Ρ*, 520. — 6) *ξ*, 425. cf. 426.

7) ita *γ*, 439—464. Ex descriptionibus minus latis, ubi aut *διαχεύειν* aut *μιστύλλειν* solum memoratur, nihil ad rem, quam tractamus, potest concludi.

partire, *μιστύλλειν* vero in parvas partes dividere [1]), illud, inquam, discrimen non solum eo dirimitur, quod in neutro verbo illius notionis vestigia sunt, verum eo etiam, quod minutum et angustum atque prorsus supervacaneum esset primum de magnis, tum de minoribus partibus secandis loqui. Denique explicatione mea, quamquam antiquitus non tradita est, temeritatis vel libidinis crimine non tangitur, quippe quum a verbi *διαχεύειν* notione primitiva ut abhorreat [2]) illa, tantum absit, ut, modo omne illud exenterandi negotium ante oculos tibi ponas, propius etiam accedat.

§ 2. *Quomodo caro ad edendum praeparata fuerit.* Postquam igitur pecudem exenteraverant, carnem in frusta secabant verubus affigenda [3]). Lignis antea scissis [4]) ignis accenditur atque, ubi flammae exstinguuntur, carbones candentes panduntur et verua imponuntur *κρατευταῖς,* quod verbum optime cum interpretibus recentioribus de adminiculis furcillatis, quibus imponantur verua, accipiemus [5]). Deinde, ubi verua supra fundamenta illa porrecta erant, sal carni inspergebatur [6]). Singulis verubus plura frusta

---

1) Vetus hujus explicationis auctor est schol. ad *H*, 316, quem praeter alios secutus est N. ad *γ*, 456 *διαχεύειν* explicans: sie zerlegten das Opferthier in seine Haupttheile.

2) Hoc objicio Koeppenio, qui ad *H*, 316 *διαχεύειν* idem esse quod pecudem apertam eluere censet; quamquam id recte sensit vulgarem explicationem ferri non posse.

3) Hoc proprie est *μιστύλλειν;* rarius pro eadem re *τάμνειν* usurpatur. Sues fortasse etiam toti interdum verubus affigebantur, id quod , 468 verbo *τανύοντο* indicari videtur. — 4) *ξ*, 418.

5) Minus placent veterum explicationes, quas affert schol. ad I, 214. Cf. Spitzner. ad h. l. Passov. Pollux X, 97.

6) Hoc ex I, 214 colligi potest, quum aliis locis *κατὰ τὸ σιωπώ-*

affixa fuisse et unumquemque assantium duo verua curavisse probabile est [1]); omnis vero caro ne una torreretur in magnis conviviis, et multitudo convivarum et foci angustiae videntur obstitisse [2]). Postquam bene assata caro erat, detracta de verubus in mensa culinaria ante *δαιτρόν* collocabatur. Coctionem carnis Homero, qui tamen heroas elixa carne vescentes, ut in ejusmodi rebus solet *κατὰ τὸ σιωπώμενον*, numquam inducit, notam fuisse apertum est ex *Φ*, 361 sqq. [3]). Si de loco quaeritur, persuasum habeo in triclinio, non in aula pecudes mactatas et ad coenam praeparatas esse; diserte enim sus, quem mactaturus erat Eumaeus, in foco positus esse refertur [4]); proci deinde mactaturi amicula in sellis deponunt [5]) neque tamen exiisse dicuntur neque sellae in aula sunt [6]) neque eorum, quae deinceps narrantur, quidquam in aula fit; denique *κρεῖον*

μενον ut nimis vulgare illud omittatur. Cf. de salis usu Plut. Symp. p. 657, imprimis Schweighaeus. animadv. ad Athen. Tom. VII. p. 672 sq. Ad salis necessitatem usumque vulgarem spectat etiam proverbialis illa locutio *οὐδ' ἅλα δοῦναι* (*ρ*, 455 cf. nostrum nicht einen Trunk Wasser reichen). Sed ut pauca, nisi molestum videatur, de salis epitheto *θεῖος* afferam, putida fere scholiastae explicatio judicanda est, qui: divinum, ait, salem appellat Homerus, quia a putore servat carnem. Probamus potius Plutarchi explicationem (p. 727 sq.), qui ea, quae vulgata sint suisque per totum humanum genus pervadant usibus, quam maxime divinitatis titulo ab hominibus dignari dicit. Hac ratione optime *ἅλς θεῖος*, *ἀκτὴ θεῖα* appellatur, et vicissim ex epitheto de vulgari salis usu colligi potest. Eadem illa explicatio alteri salis epitheto *ἱερός* convenit.

[1]) I, 213. — [2]) Maxime hanc opinionem confirmat *γ*, 33.

[3]) cf. schol. Aristarchi; Athen. p. 25 D. Damm. Lexic. Hom. s. v. *κνίσα* et *μέλδω*; Eustath. p. 1330, 49 sq. Multa, quorum usum alibi non affert poeta, in comparationibus exhibet; cf. cap. I. § 2.

[4]) *ξ*, 420. cf. 419 (*εἰςῆγον*); *χ*, 362 sq. *δέρμα βοὸς νεόδαρτον* in triclinio est. — [5]) *υ*, 248 sq. — [6]) *α*, 108.

ἐν πυρὸς αὐγῇ est[1]) et *δαιτρός*, cui assata caro traditur, in triclinio sedet. Haec omnia me commovent, ut *β*, 299 *μέγαρα* de triclinio, non de aula cum interpretibus accipienda esse censeam et verba *ἐν αὐλῇ*, qui sequuntur v. 300, corrupta esse existimem. Neque displicet Barnesii conjectura, a Nitzschio[2]) repudiata, *ἐν αὐγῇ*. Unde novo testimonio firmatur, quod supra demonstravimus, fumi meatum in triclinio fuisse; fumum enim, qui extra domum sunt, ex ea surgentem vident[3]). Sed ut ad proximum illud veniamus, saepe eorum diligentia atque quasi ars effertur, qui mactandi et torrendi munere funguntur; scite enim carnem secuisse, scite atque considerate assavisse dicuntur[4]).

§ 3. *De δαιτροῦ munere.* *Δαιτρός*, qui aliqua ex parte cum coquis recentiorum temporum comparari potest[5]), munus habebat carnes tostas et in mensa culinaria[6]) positas in portiones distribuendi convivisque apponendi[7]). Num hoc etiam *δαιτροῦ* fuerit, in laniena[8]) carnem, antequam assaretur, in partes ad verua figendas dividere Homericis locis non ostenditur. Ceterum *δαιτροσύνη* potissimum ad

---

1) I, 206. — 2) ad *β*, 300. — 3) *ρ*, 269 sq.

4) cf. *Ω*, 622 sqq. Non neglexerim lectorem benevolum relegare ad ea, quae schol. ad *Α*, 460 de hac re acute observavit.

5) schol. ad *ρ*, 331; *ξ*, 433; *π*, 253.

6) *ξ*, 432. Ipsa vocabuli forma utrum *ἐλεός* vel *ἐλεόν* fuerit, quum singulari numero positum numquam verbum illud inveniatur, dubitari potest. — 7) Ita ipse poeta *δαιτροῦ* munera definit cf. *ξ*, 433. 434. 436; *ο*, 140; *ρ*, 331: *δαιτρὸς κρέα πολλὰ δαιόμενος*, quod inter artis synonymicae Homeri vestigia referendum est, cujus alia etiam exempla exstant, ut *Τ*, 91: *ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται* cf. Wiehe De vestigiis artis synonym. Graecor. (Haun. 1856) p. 66.

8) I, 206. cf. 215. cf. Athen. p. 173 A.

portiones ex norma quadam[1]) dispertiendas[2]) pertinuisse videtur; numquam enim narratur carnes tostas denuo sectas esse, quin immo ξ, 76 sq. Eumaeus *πάντα ὀπτήσας θέρμ' αὐτοῖς ὀβελοῖσιν* Ulixi apponit. Certi *δαιτροί* apud ditiores tantum et nobiliores, ut apud procos[3]), fuisse atque apud eos modo in lautioribus et amplioribus epulis[4]) munere functi esse putandi sunt. Apud humiliores enim herus vel alius quis convivarum illa officia suscipit, itidem in nobilium epulis, si pauci convivae adsunt[5]), quamvis *δαιτρεῦσαι* inter ea negotia numeretur, *οἷα τοῖς ἀγαθοῖσι παραδρώωσι χέρηες*[6]). *Δαιτρός* certam sedem habet, quam distributis carnibus relinquit[7]), quare inter coenam alii caruneulas, advenis praesertim, solent apponere[8]).

§ 4. ***De crateribus et vini temperatione.*** Inter illa negotia vinum, ut, si coena inciperet, statim posset apponi, miscebatur sive a pueris ingenuis[9]) sive a praeconibus[10]) sive ab ipso hero aut convivis[11]) in crateribus, qui ex auro vel argento praeclara arte fabricati ideoque magni pretii[12]) esse solebant et sex[13]) vel plura[14]) *μέτρα*

---

1) ξ, 433: *περὶ γὰρ φρεσὶν αἴσιμα ᾔδη·* cf. supra ad *δαῖτα ἐίσην*.

2) cf. *δαιτρὸν πίνειν* Δ, 262. — 3) π, 253 duo memorantur.

4) Haec causa esse possit, cur in Iliade *δαιτρῶν* mentio non fiat.

5) I, 206 sq.; Ω, 626. Sed in sollennibus quoque epulis nobiles ea illius muneris parte funguntur, ut carnes ipsi inter se distribuant (υ, 252. 280). In universum *θεράποντες, κήρυκες,* nobiles ejusmodi operas promiscue suscipiunt.

6) ο, 323 sq. — 7) ρ, 331. — 8) ρ, 334 sq.

9) α, 148 al. cf. Terps. III, 5, 6. Athen. V. p. 192. B. X, p. 424 E.

10) α, 110. — 11) γ, 390. 393; υ, 252; Δ, 260.

12) cf. Ψ, 740 sqq. et 750 sq. ο, 113 sq. Ceterum de diversis craterum formis et generibns v. Mueller. Archaeol. § 298.

13) Ψ, 741. — 14) ι, 209.

continebant, quam propter magnitudinem poeta immoderate potantes κρητῆρας πίνειν[1]) dicit. Quantum aquae vino mixta fuerit nescimus, quamquam plus aquae quam vini mixtum esse fere certum est, modo ne de mirifico illo vino Ismario cogitemus[2]). Nondum satis explicatum esse mihi videtur verbum ἐπιστέφεσθαι, quod Homerus, si de miscendo vino loquitur, plerumque usurpat. Nam quod plerique explicant in cratere nimis repleto humorem, qui marginem paullulo superet, quasi coronam efficere[3]), hoc mea quidem opinione ineptum et paene ridiculum est. Neque enim illud in rerum natura fit neque ita complebantur crateres, quippe quum ex illis deinde vinum hauriretur. Alii melius, sed ne ii quidem recte, ad verbi primitivam completionis vel perfectionis notionem, quam statuerunt, recessere[4]). Sed recte Casaubonus[5]) admonuit propriam cujusque vocis significationem, quam coronae fuisse in verbo στέφανος nemo non videbit, natura priorem esse quam translatitiam. Homerus autem coronas eorumque usum novisse existimandus est, quamvis in scholio ad *N*, 736, quod Aristarcho tribuitur, στέφανον idem quod κύκλον apud Homerum esse affirmetur atque vocabulum στέφανος per similitudinem et translationem soleat usurpari. Iis autem locis, ubi Homerus vocibus στέφανος, στέφειν, στεφανοῦν[6]) utitur, multo simplicius est de coronando, licet sensu translatitio, quam de com-

---

[1]) Θ, 232. cf. κρατερίζειν Athen. XI. p. 504 B.

[2]) ι, 209 sqq. Optime Nitzschius hyperbolam ad Homeri artem referens admonet tale vinum poetae fuisse describendum, ut quo ingens Cyclops periturus fuisset. — [3]) Schol. ad *A*, 471. Friedr. p. 251.

[4]) Ita Aristot. ap. Athen. p. 694 F sq. cf. N. I. p. 31.

[5]) Ad Athen. l. l. — [6]) De locis Homer. v. Passov. s. vv.

plendo cogitare idque poetae res ipsas potius quam abstractas, ut ita dicam, notiones ante oculos ponenti multo magis convenit. Quae si respicimus, forsitan aliis hanc explicationem praeferemus, quae simplicissima esse videtur. Efficitur enim aquae et vini conjunctione, praesertim si majores eorum copiae in ampliore vase miscentur, spuma[1]), quae supra crateris marginem paullulum surgit atque haud inepte, ut mihi quidem videtur, cum corona comparatur[2]). His opponi possit *ι*, 209, siquidem illum locum ita tu explices: unum poculum vini admiscuit aquae; sed mihi quidem simplicissima vertendi ratio haec esse videtur: ad unum poculum vini admiscuit viginti *μέτρα* aquae. Si enim veteriores Graeci vinum aquae, recentiores aquam vino admiscuisse traduntur, hoc non de temporis ordine, sed de multitudine vini et aquae apud utrosque intelligendum est[3]). Denique in praepositione *ἐπί* cum verbo *στέφεσθαι* conjuncta repetitionis vim inesse Nitzschius[4]) et Passovius recte statuerunt et re vera, ubi verbo *ἐπιστέφεσθαι* Homerus utitur, mixtura prior jam memorata[5]) aut antecessisse putanda est. Ceterum ex eo more, quo diis humana tribuuntur, eos etiam nectar miscentes Homerus inducit[6]); namque *κεράσαι* de vino infundendo accipere contra poetae usum dicendi esset.

§ 5. *De sellis.* Quoniam sedebant Homerici homines

---

[1]) Ita Virgilius de spumante patera loquitur (Aen. I, 739).

[2]) Simili modo *ἄνθος* de spuma aquae superfusa usurpatur. cf. *ἄνθος οἴνου*. Schneider. Colum. p. 627. 638. Plin. XIV, 27.

[3]) cf. N. ad l. l. — [4]) I. p. 31.

[5]) cf. *α*, 148 et 110. Idem de voce *ἐπικρῆσαι* (*η*, 163) dicendum est; cf. Buttmann. Lexil. I. p. 101, quem eundem cf. de vocis *ἐπιστέφεσθαι* notione I. p. 96. — [6]) *ε*, 93.

inter coenam, non accumbebant, diversa jam illis temporibus exstabant sellarum genera, quae varia et forma et arte erant fabricatae. Equidem, quae de sellis apud Homerum reperiuntur, singula non enarrabo, sed, quia Passovius diligenter et accurate ea composuit, ad hunc, ne prolata repetam, lectorem benevolum plerumque relegabo ea afferens, quae addenda esse censeo. Jam primum constat tria sellarum genera commemorari: *θρόνον* et *κλισμόν* vel *κλισίην*[1]) et *δίφρον*, quibus hoc commune est, quod lignei[2]) et sine pulvinis sunt. Honoratissimorum, deorum et principum, proprium est sedere *ἐν θρόνοις*, quae sellae pretiosae erant, arte factae, clavis argenteis saepe ornatae, bracchiis instructae, tam altae, ut scabellum sedentibus opus esset[3]). Supra *θρόνους*, ut mollem sedem praeberent, varia sternebantur stragula[4]) neque tamen *χλαῖναι*, ut Nitzschius[5]) falso censuit; eas enim modo deponebant mactaturi, ne sibi impedimento essent, et balneo usuri[6]). *Κλισμός* erat sella ad reclinandum corpus accommodata[7]), opere sculptili ornata, scabello, ut *θρόνος*, instructa[8]).

---

[1]) Idem fortasse *κλιντήρ* significat (*σ*, 190).

[2]) Apud deos tantum aurei *θρόνοι* commemorantur.

[3]) cf. deorum epitheton *ὑψίθρονος*.

[4]) Memorantur *τάπητες, ῥήγεα, κώεα, λίς*, de quibus cf. Passov. et N. ad *γ*, 349 et *α*, 130. — [5]) ad *γ*, 349.

[6]) Nihil aliud docetur *ρ*, 179. 86; *υ*, 249. Stragula enim ponere ministrarum erat et *πέπλα*, non *χλαῖναι*, *θρόνοις* imponi dicuntur *η*, 96.

[7]) Adminiculum in his sellis fuisse ipsa vocis origine indicatur. cf. *ρ*, 97. Illo adminiculo diversi fuisse videntur *θρόνοι* et *κλισμοί*.

[8]) De scabello ad *κλισμόν* affixo sermo est *τ*, 57 cf. 58. Idem significare videntur verba *ὑπὸ δὲ θρῆνυς ποσὶν ἦεν*; neque enim umquam *θρῆνυς* dicitur admoveri. Scabellum tamen a sella sejunctum memoratur *ρ*, 410. 462. Num idem valeant *θρῆνυς* et *σφέλας* ignotum nobis est; cf. *ρ*, 462 et *σ*, 394.

Majoris quidem honoris esse videbatur ἐν θρόνῳ quam ἐν κλισμῷ sedere, tamen promiscue κλισμοί τε θρόνοι τε in tricliniis regum reperiuntur. *Κλισμόν* non tam altum fuisse, quam *θρόνον*, locis Homericis vix demonstrabunt interpretes; quod vero mulieres fere semper ἐν κλισμοῖς sedisse dicuntur, causa infirmior est, quia utriusque generis sellis scabella suberant. Ceterum κλισμοί stragulis tegebantur, ut θρόνοι. Tertium genus fuit δίφρος[1]), primitus sedile essedi, deinde scamnum quoddam sine fulcro tergi vel laterum, quod vilius, quam θρόνος et κλισμός, atque praesertim humiliorum hominum in usu erat[2]). Inter ipsos δίφρους discrimen videtur fuisse; quum enim Ulixi, ut mendico, turpis δίφρος praebeatur, meliores certe sunt, quos nobiles homines domi habent et quibus ipsi utuntur[3]), numquam tamen in triclinio. Stragula supra δίφρους sternere non usitatum videtur fuisse, nisi quod vellera interdum imponuntur[4]). Ubi sedilia omnino desunt, ut apud Eumaeum, convivae sedes ita paratur, ut viridis virgultis vellus superjiciatur[5]). Denique, qui sub divo extra domum epulantur, quamvis nobiles, sellis non utuntur, sed substratis velleribus humi sedent[6]).

§ 6. *De mensa.* Videntur mihi duo mensarum genera statuenda esse, alterum quadratarum, alterum rotundarum, quorum utrumque pulchritudine insigne fuit[7]). Et quadratae quidem quattuor fulcra habebant et complicatae id est ex duobus vel tribus tabulis compositae erant, quae, si coena instabat, distrahebantur. Hanc enim notionem

---

1) cf. Grashof. Passov. — 2) ω, 408 cf. 385; τ, 97 cf. 55; ϱ, 330.
3) δ, 717; Ζ, 354. — 4) φ, 177.
5) ξ, 49 sq. π, 47. — 6) γ, 38.
7) Λ, 628; κ, 354; ο, 333; θ, 69.

rejecta altera interpretandi ratione nimis artificiosa[1]) cum veteribus explanatoribus[2]) in verbis *τανύειν* et *τιταίνειν* inesse arbitror, quae sine dubio ejusdem radicis sunt, cujus verbum *τείνειν* est, atque de iis potissimum rebus extendendis usurpantur, quae quodammodo complicatae in majorem longitudinem possunt diduci[3]) vel, quum dejiciantur, quasi porrigi videntur[4]). Illae autem mensae pluribus plerumque destinatae videntur fuisse, quum, ubi suam quisque mensam haberet, minoribus[5]) uterentur uno pede fultis iisque rotundis. Ad illas tantum referendos esse censeo locos eos, ubi pede Antinous mensam a se protrudere dicitur[6]) et ubi proci, ut mensis utantur pro scutis, admonentur[7]). His autem mensis, quarum tabulae et complicari et diduci poterant, recte, ut mihi quidem videtur, oblonga forma ab Eustathio tribuitur, audacius vero concluditur rotundas mensas illis temporibus nondum exstitisse. Quod ad mensarum numerum attinet, adhuc quaestio antiquitus restat, utrum singulis[8]) an pluribus singulas mensas poeta tribuerit[9]). Jam si ipsos locos Homericos inspicimus,

---

1) de qua v. N. ad *α*, 138. Passov.

2) Eustath. ad *κ*, 354: *ἀποδιπλόμεναι καὶ οὕτω τεινόμεναι ὥστε ὀκλαδίας δίφρος.* cf. Schol. ad hunc locum; schol. ad *Δ*, 628; *η*, 174 (*πτυκτὴ τράπεζα*).

3) *τανύειν τόξον, βοείην, ἵππους, γναθμούς,* et per imaginem quandam: *τανύειν πόνον, ἔριδα; τιταίνειν τόξα, αἰετὼ τιταινομένω πτερύγεσσιν, ἵππος τιταινόμενος.*

4) *τανύειν ὀβέλους, ὕας, ἔγχος, τινὰ ἐπὶ γαίῃ; τιταίνειν χεῖρε, ἅρμα, ἄροτρον.* — 5) *υ*, 259. — 6) *χ*, 19. — 7) *χ*, 74.

8) Huic opinioni favent Plut. Eustath. Terpstra (III, 5, 4). Apud Germanos hic mos fuit auctore Tacito Germ. c. 22: separatae singulis sedes et sua cuique mensa.

9) Athen. p. 11 F (cf. Animadv. Tom. I. p. 108) et p. 43.

utrumque usum reperimus [1]). Numerum autem mensarum, quae convivis apponendae erant, certum fuisse aut lege quadam vel usu constitutum nusquam inveni, quamquam diligenter in hanc rem inquisivi; hoc tantum e conjectura quadam contendere ausim in majoribus epulis [2]) mensas singulas singulis apponi solitas fuisse, duobus vero vel pluribus singulas mensas fuisse in conviviis parvis et privatis [3]). Solebant autem mensae, spongiis antea detersae [4]), apponi, postquam convivae consederant, raro antea [5]).

§ 7. ***De manuum lavatione.*** Postquam resederant convivae,

χέρνιβα (δ') ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
καλῇ χρυσείῃ ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος
νίψασθαι [6]).

Ancillae enim sive praecones [7]) sive famuli [8]) sive convivae [9]) sibi ipsi supra manus aquam effundebant, nempe puram et

---

[1]) Una mensa uni apponitur *η*, 174; *ρ*, 333; *φ*, 28; una duobus praebetur *ρ*, 93; *Ω*, 625; una denique pluribus *Δ*, 628; *I*, 216.

[2]) Si eae memorantur, semper pluralem numerum *τράπεζαι* reperimus; cf. *α*, 111; *ρ*, 447; *χ*, 74. 84; *η*, 174.

[3]) cf. locos supra allatos.

[4]) *α*, 111 sq.; *υ*, 151; *χ*, 438. Nitzschius (ad *α*, 109 sq.), Friedreichius (p. 150) et Terpstra (III, 5, 4) mensas bis detersas esse dicunt; quod unde habeant nescio. Fortasse quod alio loco ministri, alio ancillae id negotium perfecisse dicuntur? At non video, cur id non potuerit modo ab ancillis, modo a ministris perfici, ut multa alia.

[5]) *κ*, 354; *α*, 112. — [6]) *α*, 136 al. l. — [7]) *α*, 146.

[8]) *υ*, 297. Verbum *λοετροχόος* certe masculini generis est itaque ad manuum lavationem spectat, quum in balneis modo mulieres ministrare soleant. Habemus hoc loco primum vestigium moris, qui adhuc valet, ut ab invitatis donum (Trinkgeld) detur iis, qui ministrant.

[9]) *κ*, 182. *Δ*, 449.

liquidam[1]), quia haec lavatio ad res sacras spectabat. Quum enim corporis lavatio, qua advenae praecipue, sed alii quoque convivae ante coenas utebantur, ad recreationem potissimum et decorem pertineret, manus abluebant, ut puris manibus adirent libationem in coenarum initio faciendam. Et hanc quidem ejus moris tunc veram atque solam causam fuisse multa confirmant. Primum enim, etiam si coenaturi non sunt, ante preces, quas ante caedendam victimam aut ante libationem fundunt[2]), manus lavant. Hanc solam ob causam in Iliade memorantur manus lautae esse[3]). Deinde malluviarum usum proprie ad caerimonias spectare eo quoque docetur, quod duobus locis *χέρνιμμα* et *οὐλῶν πρόχυσις* componuntur[4]). Denique veteres in hac interpretandi ratione fere consentiunt[5]). Hoc loco dicat

---

1) *γ*, 429; *υ*, 153 sqq.; *Ω*, 303 (*ὕδωρ ἀκήρατον*).

2) *γ*, 445; *Ω*, 302; *Α*, 449; *Ζ*, 266; *Ι*, 174. Itaque corruptelam aliquam latere arbitror in versu: *χεῖρας νιψάμενοι τεύχοντ' ἐρικυδέα δαῖτα* (*κ*, 182); hoc enim loco sacrificium non est neque libationem adeunt vulgarem coenam paraturi. Recte ille versus se haberet, si pro *τεύχοντ'* scriptum esset *δαίνυντ'*; tum vero nimis hiare videtur narrationis nexus cf. 181.

3) *Κ*, 576 sq. de manuum lavatione ante coenam facta dici Nitzschius (I, 237) et Terpstra (III, 9, 2 adnot.) sine jure contenderunt. Ejusmodi res poeta omnino in Iliade, ut in carmine bellico, ubi fere semper res graves imminent, brevius describit aut plane omittit (cf. schol. ad *α*, 138). Semper autem in illis descriptionibus ad poetae artem attendendum est, qui, postquam brevi antea accuratam descriptionem dedit aut ubi graviora instant, brevissime loquitur cf. schol. ad *Ψ*, 55; Lehrs. Dissert. II. s. v. *δεῖπνον* (adnot.). Nequaquam vero ex eo, quod ille mos manus ante coenam lavandi in Iliadis hominibus non diserte commemoratur, colligi potest eum omnino iis non tribuendum esse.

4) *γ*, 445 *χέρνιβα κατήρχετο,* quod verbum ipsum ad sacra pertinet; cf. *Α*, 449. — 5) Schol. ad *α*, 138; *Α*, 450.

aliquis: nonne debebat munditia potissima ejus lavationis causa esse iis, qui manibus carnem ori admoverent? Fuit quodammodo, sed Homerus eam causam intelligi non voluit. Nam decorum quidem poetae est manuum lavationem memorare, ubi ad caerimonias, tenue, ubi ad munditiam attinet. Quod si statuimus, bene jam intelligemus, cur poeta manuum lavationem neque inter coenam[1]) neque post eam[2]) commemoret, nisi ubi libationi denuo factae ea antecedat[3]). De vasibus in hac lavatione adhibitis nihil addendum est nisi pretiosissima ea fuisse, aurea atque argentea et interdum caelato opere ornata. Denique, quod pro vulgari vocabulo *λέβης* uno loco (*Ω*, 304) pelvis *χέρνιβον* nominata est, id ejiciendi versus[4]) sufficientem causam praebere videtur, siquidem fides habenda est scholiastae (ad *α*, 138), qui posteriore demum tempore vocem *χέρνιβον* pro lebete usurpatum esse adnotavit.

§ 8. *Panem apponit ταμίη.* Panem apponere *ταμίης*, rei familiaris magistrae, quae rem frumentariam potissimum asservabat et penori omnino praeposita erat[5]), proprium munus est neque ab aliis perfici solet, nisi in

---

[1]) *δ*, 213, ubi hoc narratur, novum documentum additur, quanto jure illum locum damnaverimus. Eustathius quidem ad hunc locum adnotat manuum lavationem post effusas lacrimas atque lamenta (cf. v. 183 sq.) fieri solitam esse; sed unde hoc habet? Quamvis enim multis locis Homerici homines lamententur et lacrimas effundant, nusquam istius moris mentio fit, qui ineptus praeterea esset, quippe quum facies potius, quam manus, inter lamentandum lacrimis macularetur itaque haec potissimum lavanda esset.

[2]) cf. schol. ad *A*, 450, ubi idem, sed ineptis causis, affirmatur.

[3]) ita *γ*, 338.

[4]) cf. schol. ad *Ω*, 304, cujus auctor Aristarchus esse traditur.

[5]) ut *ταμίαι, σίτοιο δοτῆρες* *T*, 44.

magnis conviviis[1]), ubi sola *ταμίη* non sufficit, vel in domibus, ubi *ταμίη* nulla adest[2]). Videtur ei praeterea carnis quantum distributis portionibus reliquum erat, traditum fuisse ad asservandum[3]), quod cum aliis cibis, si quis inopinato advenit, solet apponere, id quod verbis *εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα χαριζομένη παρεόντων*[4]) docetur. *Δαιτρός* enim iis tantum in ipsa coena ministrat, qui aut ab initio illi intersunt aut serius exspectantur[5]); numquam autem refertur cibos atque carnem illis reponere, qui forte sero venturi sint, aut, quum sero venerint, his anteponere[6]). Panes apponebantur *ἐν κανέοις*[7]), canistris vel aeneis vel aureis, ad panes excipiendos proprie destinatis. Panem enim et pingues carnes in eodem canistro fuisse non veri simile est[8]); quod vero pes bubulus *ἐκ κανέοιο* sumitur[9]), haud inepte suspicatus est Passovius ossa a

---

[1]) cf. *α*, 147. — [2]) *κ*, 355. cf. N. ad 367; *π*, 51. cf. *ϑ*, 69 *ἀοιδῷ* ministrare praeconis est.

[3]) *π*, 50 in coena paucorum *ὀπταλέα κρέα* apponuntur, *ἅ ῥα τῇ προτερῇ ὑπέλειπον ἔδοντες*.

[4]) *α*, 140. In hoc versu et iis, qui sequuntur, interpretes offenderunt ea praesertim de causa, quod *εἴδατα* nihil aliud nisi carnem significare posse persuasum habebant. Haec tamen explicatio nequaquam certa est (cf. supra cap. I. § 2). Si et alios cibos in cella penaria asservatos verbo *εἴδατα* indicari posse conceditur, nullam esse causam existimo, cur aliquid ejiciamus. Eodem jure versus *εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα κτλ.* *ο*, 139 retinetur neque subditicius est *δ*, 56, siquidem totus ille locus Homericus est. cf. N. ad *α*, 140 sqq. — [5]) *ρ*, 258 (*μοῖραν*).

[6]) cf. *η*, 166. Versus *δ*, 57 et 58 vix possunt defendi. cf. N. ad hunc locum. — [7]) *α*, 147. cf. N. Idem docet (ad *κ*, 367) canistra panum plena esse apposita.

[8]) *ρ*, 343 nihil contra opinionem nostram facit. Neque enim opus est, verba *καὶ κρέας* ad *περικαλλέος ἐκ κανέοιο* trahere, quod ne collocatio quidem verborum suadet. — [9]) *υ*, 299 sqq.

convivis finita coena in panaria conjecta esse. Contra ad carnem apponendam aderant πίνακες [1]), quorum usum recentiorem et Homero ignotum fuisse non est, quod cum Aristophane grammatico [2]) statuamus.

CAPUT VI.

DE COENIS IPSIS.

§ 1. *Quinam praeter viros nobiles coenarum participes fuerint.* Adfuisse mulieres in conviviis negari non potest; ita Helena [3]), Penelope [4]), Arete [5]) coenantibus intersunt, sed muliebri opera occupatae fila deducunt [6]), non cum viris coenant et potant. Observandum tamen est ne id quidem decorum fuisse herae, nisi conjunx in convivio adesset. Sic Penelope adest quidem in triclinio, dum filius et hospes coenant, deinde vero recedit, quumque ad procorum epulum veniat, proterretur a Telemacho [7]), quamquam cum duabus ancillis virorum conventum intraverat [8]). Morem fuisse feminarum in suis ipsarum conclavibus coenare Nausicaae exemplo docetur, cui ministra in cubiculo *δόρπον* parat [9]). Illa tamen lege non tenentur deae: Circe et Calypso cum Ulixe et Mercurio coenant, omnes denique deae cum diis omnibus. Liberi, quorum

---

[1]) Athen. VI. p. 228 E cf. adnot. Schweigh.

[2]) cf. Nauck. Arist. fr. p. 31. Etiamsi vero Odysseae versus *α*, 141 et *δ*, 57 extra dubitationis aleam positi non essent, tamen *π*, 49 nulla re suspectus est. — [3]) *δ*, 219. — [4]) *ϱ*, 96. — [5]) *η*, 141; *ν*, 57.

[6]) cf. praeter ll. ll. *δ*, 121; *ζ*, 305.

[7]) *α*, 356 sq. cf. *ο*, 515 sq. — [8]) *α*, 331.

[9]) *η*, 12 sq. Quod N. ad virginum coenam hoc tantum referendum esse censet, in hoc ille errare videtur. Possum pro opinione mea etiam *δ*, 623 afferre, sed corrupto loco nihil, opinor, demonstratur.

patres inter convivas erant, interdum videntur epularum participes fuisse [1]) atque inferioribus etiam hominibus, ut pastori Melanthio, si convivarum alicui grati sunt, nonnumquam conceditur inter nobiles coenare iisque ut dominis ministratur [2]). Mendicis licebat quidem in conviviis adesse, sed ad januam sedebant viliore scamno mensaque usi. Omnes denique, qui ad familiam pertinebant, praeter mulieres, in triclinio cibum et potum sumpsisse videntur [3]) atque in libatione certe *πᾶσιν ἀνὰ μέγαρον* vinum praebetur [4]). Omnino caveamus necesse est, ne illis temporibus severum ordinum discrimen tribuamus [5]). Ita certus quidem ministrorum et ancillarum numerus aliquoties affertur [6]), verumtamen omnia fere et ante et inter coenam praestanda negotia atque ministeria, paucis exceptis [7]), nobiles, *κοῦροι, κήρυκες, θεράποντες, δμῶες* et *δμωαί* [8]) promiscue suscipiunt. Alii igitur in sejungendis singulorum ministeriis operam perdant.

§ 2. *De poculis.* Postquam mensae convivis appositae erant, in iis collocabantur pocula, sed vino nondum repleta [9]). Bene autem fabricandorum poculorum artem illis jam temporibus cultam fuisse indicant poculorum varia et plerumque pretiosa haec genera: *δέπας, ἄλεισον, κύπελλον, σκύφος, κοτύλη, κισσύβιον* [10]), de quibus apud

---

1) *X*, 496. — 2) *ϱ*, 256 sqq. — 3) *υ*, 281 sq. — 4) *η*, 179 sq.

5) cf. *ζ*, 99. — 6) *η*, 103; *χ*, 421; *ο*, 330 sq. Pulchritudo eorum quam maxime effertur (*ο*, 332; *τ*, 60).

7) Haec notavi, ubicunque de iis disputatur.

8) cf. Passov. s. vv. Ostermann de praeconibus (Marbg. 1845); Kostka Ueber die *κήρυκες* bei Homer (Progr. d. Gymn. zu Lyck; Mich. 1844). — 9) *α*, 142 cf. 143; *υ*, 253 cf. 255; *κ*, 357 pocula ponuntur, antequam convivae resederunt. — 10) *φιάλη* apud Homerum non, ut apud posteriores Graecos, poculum est, sed aquae receptaculum.

Athenaeum et Passovium tam large dictum est, ut novi, quod addam, fere nihil habeam. Quam brevissime igitur hanc rem tractabo, non tamen neglexerim admonere, ne nimia fides in hac re veteribus tribuatur, qui, quum ex variorum temporum scriptoribus sua sumant, valde inter se dissentiunt et ad Homerum explicandum non semper rectum praebent. Generali quadam notione poculum verbo *δέπας* [1]) significari videtur, cujus species *ἄλεισον, κύπελλον* [2]), *σκύφος* sunt; quo fit, ut, quoties certa poculorum species verbo *δέπας* denotanda fuit, epitheton *ἀμφικύπελλον* [3]) sit additum. *Ἄλεισον, κύπελλον* et *δέπας ἀμφικύπελλον* poculorum genera admodum pretiosa [4]) erant, aurea et argentea, quum *σκύφος* [5]) et *κοτύλη* et *κισσύβιον*, utpote quae in humilium hominum usu essent, minoris essent pretii. Et singulari quidem forma fuisse videtur *κοτύλη* [6]), quae mendicis praeberi solebat [7]) et pusilla erat [8]), quum contra *κισσύβιον* [9]) magnitudine esset insigne at-

---

1) cf. *γ*, 50. 51. 41; *χ*, 9 cf. 17.

2) Quomodo *ἀλείσων* et *κυπέλλων* forma distulerit, non accurate scimus; fortasse proprium fuit *ἀλείσων*, quod binis ansis instructa fuerunt (*χ*, 9 sq.). cf. Athen. XI, p. 482 E; Eustath. ad *α*, 142; Passov.

3) De hujus epitheti vi cf. Buttm. Lexil. I, p. 160; Lobeck. Proleg. pathol. p. 106.

4) De Nestoris famoso poculo (*Λ*, 632 sqq.) cf. Lehrs. p. 199 sq.

5) Semel hoc vocabulum legitur *ξ*, 112, ubi ambigitur inter formam *σκύφον* et *σκύφος*, quod maluit Aristoph. Byz. cf. Nauck. p. 42. Ceterum de ipso poculo cf. Asclepiadem Myrleanum apud Athen. XI, p. 498 E. Hesiodus regi *σκύφον* tribuit.

6) Athen. XI, p. 478 E; Eustath. p. 1282. Schol. ad *Ψ*, 34. Lehrs. p. 321. — 7) *ϱ*, 11 sq. *ο*, 312. — 8) cf. *X*, 494 sq. et supra c. I. § 1.

9) De forma et materia v. Athen. XI, p. 476 F. Passov. Doederl. (gloss. Hom.).

que idem humilioribus esset et rusticis, quod *κρητήρ* nobilibus [1]).

§ 3. *De libatione et pincernis.* Quamquam Homerus res, quae repetuntur, primo potius loco, ubi fiunt, quam secundo vel tertio commemorare solet, tamen, quum libationis et inter et post [2]) coenam factae saepissime mentionem faciat, ante coenam perraro atque ne tum quidem, ubi de coenis vulgaribus loquitur [3]), libationem affert. Si nihilominus libationem ante coenae initium factam esse statuimus, nihil nisi hae duae causae nos commovent, quarum altera est manuum lavatio [4]), quam libationis causa ante coenam factam esse supra demonstravimus, altera verbi *ἐπάρχεσθαι* notio, quamquam de illa interpretes multum disceptant. Buttmannus [5]) enim censet in verbo *ἄρχεσθαι* inesse notionem ex cratere primitias exhauriendi, praepositionem autem *ἐπί* accedendi vim habere, quod pocillatores ad singulos convivas adstiterint. Quod minus nobis probari potest; nam si haec ita fuissent, dicendum erat *ἐπαρξάμενοι κρητῆρσι* vel *προχόοις*, non, ut legimus, *δεπάεσσιν*. Quod autem vir praeclarus de praepositionis *ἐπί* significatione disseruit, per se non falso dictum videtur atque quandam probabilitatis speciem prae se fert propter vocis *ἐπισταδόν* [6]) parem rationem. Aliam explicationem

---

1) ξ, 78; π, 52. Nihil obstat ι, 346, ubi ingens Cyclops Ulixi inebriandus est. cf. Theocrit. I, 27 ibique Fritzschium.

2) Libatio super linguis victimarum facta ad sacra spectat neque soli Mercurio discedentes libant. cf. N. ad γ, 332.

3) γ, 40 cf. 65. K, 578 sententiae nostrae non repugnat; grates enim agendae erant Minervae cf. 279. 292 sq.

4) Unde e. g. α, 143 (cf. 163 sq.) libationem ante coenam opinari possumus. — 5) Lexil. I. p. 200 sq. — 6) σ, 425.

proponit Nitzschius[1]). Dicit enim, ne priorem ejus opinionem[2]) ab ipso rejectam atque certe omnibus rejiciendam repetamus, *ἄρχεσθαι* similiter atque delibare nihil aliud esse nisi vini partem ex gutto, quantum singulis ad libandum opus sit, praebere. Sed hanc explicationem artificiosissimam non solum ipse probare non potest, verum etiam, quum statueret primum poculis tantum infusum esse, quantum satis esset ad libandum, deinde praebitum, quod ipsi biberent, prorsus neglexit libandi rationem atque consuetudinem, qua quisque poculis completis aliquid vini libat, reliquum bibit. Vossius denique et Gronovius verbum *ἐπάρχεσθαι* explicaverunt: denuo incipere poculis, quae interpretatio, quamquam a multis rejecta, optima omnium atque sola probabilis mea quidem opinione est. Primum enim sic verbi *ἐπάρχεσθαι* primitiva vis integra et additamentis libera retinetur; deinde repetitionis notionem, quam in multis et aliis verbis cum praepositione *ἐπί* compositis inesse constat[3]), huic verbo *ἐπάρχεσθαι* attribuere nihil est nobis dubitandum, unde simul docemur etiam in initio coenarum libationem factam esse[4]). Quod vero Nitzschius objecit ad hanc explicationem vocem *δεπάεσσιν* non posse adjungi, facile nihili esse intelligitur, dummodo ne cum Passovio dicamus pocula a pincernis denuo convivis omnibus deinceps porrecta esse, quod falsum est, sed locutionibus *κατάρχεσθαι χέρνιβα, ἀπάρχεσθαι τρίχας, δειδίσκεσθαι δεπάεσσιν* congruenter verba *ἐπάρχεσθαι δεπάεσσιν* vertamus: denuo incipere infundendo, complendis poculis.

---

1) ad *η*, 183. — 2) ad *γ*, 340. — 3) Ita in verbis *ἐπιστέφειν* et *ἐπικρῆσαι*. cf. Sophocl. Antig. 1030 *ἐπικτείνειν*.

4) Vinum quidem infusum esse in coenarum initio saepe narratur.

Jam ut ad libationem ipsam veniamus, e crateribus, quotiescunque libandum erat, denuo completis[1]), vinum hauriebatur[2]), deinde gutto quodam (*πρόχοος),* quem dextra gerebant[3]) pocillatores, a sinistra ad dextram versus[4]) singulorum[5]) poculis infundebatur. Certos vero convivis pocillatores fuisse, quae vulgaris opinio est, nullo modo potest confirmari. Neque enim certus idemque variis temporibus vinum infundit, sed, ubi vinum miscendum et infundendum est, aut unus pluresve e praeconibus, alii aliis temporibus, aut pueri eo negotio funguntur[6]), atque ne apud deos quidem certus *οἰνοχόος* est[7]), sed hujus fabulae origo Homeri tempore recentior est habenda. Illius autem erroris haec potissima causa videtur fuisse, quod ex *φ*, 141 sqq. Leioden *θυοσκόον* eundemque *οἰνοχόον* fuisse conjiciebant. Sed, quomodo ex eo loco hoc colligere potuerint, non video; certi enim inde nihil nisi hoc sequitur. Certus procis adest *θυοσκόος,* Leiodes, genere illis haud impar, quippe qui *θρόνον* habeat[8]) atque arcus intendendi initium faciat. Sedet semper juxta craterem eo loco, unde in vino distribuendo incipere solet pincerna[9]), quem ipsum propter munus suum saepe locum mutare necesse est itaque certam sedem inter coenam habuisse non est probabile. Ex illa igitur *θυοσκόον* sede nullo modo colligi potest illum, qui juxta craterem sederit, functum esse *οἰνοχόου* munere, sed hoc fortasse conjiciemus *θυοσκόον* fuisse liba-

---

1) *η*, 164 vinum denuo miscetur, *ut* libari possit. cf. *ν*, 50 sq. *K*, 579 *ἀπὸ πλεῖον κρητῆρος* haurientes Minervae libant.

2) *ι*, 9 sq. *K*, 579. — 3) *σ*, 396 sq. — 4) *A*, 597; *φ*, 141 sq.

5) *σ*, 425. — 6) *η*, 163 cf. 179; *σ*, 418 cf. 423 et 396; *φ*, 263 cf. 271.

7) *Δ*, 2; *A*, 597; *Y*, 234. Jovi soli id honori datum esse videtur, ut proprium haberet *οἰνοχόον*. — 8) *φ*, 166. — 9) *φ*, 142.

tionem precando inchoare[1]) eique primo vinum fuisse tributum. Ceterum nemini non mirum erit numquam antea de Leiode ejusve munere dictum esse apud Homerum. Quare, quum de certo *οἰνοχόον* munere non videatur cogitandum esse, facile concedas illo verbo eum significari, qui *οἰνοχοεύων τυγχάνει*[2]).

Ut vero de libatione ante coenam facta non prorsus certi sumus, ita dubitari licet[3]), num cibi partem ante coenas vulgares (nam de sacris hoc per se intelligitur) diis offerre soliti fuerint. Si enim *I*, 219 omittimus, ubi Achillis pietatem poeta efferre voluisse videtur, quoniam ille non debebat disertis verbis Patroclo imperare, ut primitias diis consecraret, si talis mos exstitisset, unus locus relinquitur, ubi primitiae ciborum diis offeruntur[4]). Huc accedit, quod *θυοσκόον* semper in triclinio adfuisse narratur. Sed hoc firmum illius moris argumentum esse quotusquisque est qui censeat?

§ 4. *Quomodo carnem ederint.* Quum cibi appositi prorsus parati perfectique essent ad edendum[5]), non opus erat cultris vel furcis[6]), sed manibus carnem ex patina sumebant orique admovebant[7]), manibus carunculas alius

---

1) *χ*, 321 sq. Aliis locis hoc herus facit (*γ*, 394 sq.) aut singuli convivarum (*γ*, 45 sq. cf. 64). — 2) cf. *οἰνοποτήρ* (*θ*, 456) et supra ad *δαιτυμόνας*.

3) Terpstra I, 7, 7 (adnot.) et III, 4, 3 in statuendo hoc usu audacior est. — 4) *ι*, 231.

5) *ὀνείατα ἑτοῖμα προκείμενα.* Etiam farina antea carni inspersa erat cf. *Σ*, 560. Quod cur *ξ*, 77 non fiat, ea causa videtur esse, quod Eumaeus hospitem tum conditione sibi parem putat itaque apparandae coenae participem facit. Qua ipsa de causa illo loco *κρέα θερμὰ αὐτοῖς ὀβελοῖσιν* apponi videntur, quum alibi semper antea detrahantur.

6) cf. Becker Charicl. I, 429 sqq.

7) Hac ratione explicantur verba *χεῖρας ἰάλλειν* cf. *ρ*, 343 sq.

alii praebebant[1]) neque in ea re erant fastidiosi. Cultros tamen omnino a coenis afuisse statui non potest; etiamsi enim frusta solebant tam parva apponi, ut cultris supersederi posset, iis certe, quibus *νῶτα* tributa erant, cultri interdum necessarii erant, ut loco Homerico confirmatur[2]). Licet *μάχαιρα* ad hunc usum non adhibita sit, tamen alia cultrorum genera videntur exstitisse[3]).

§ 5. ***De vocabulis, quae satietatem significant.*** Bono deinde appetitu edebant, quantum cuique libebat. Mirum autem est, quam variis in significanda satietatis notione formulis atque vocabulis poeta usus fuerit, de quibus, quo melius Homerici sermonis consuetudinem cognoscamus, paullo accuratius agemus. Primum *πάσασθαι* per se neque est ad satietatem usque comedere neque degustare, sed nihil nisi vesci. Haec quidem explicatio omnibus locis Homericis admittitur, quum notio gustandi, quam Athenaeus statuit[4]) modo speciem quandam veritatis habeat, sed non ubique quadret. Et affert quidem *I*, 487; tum viscerum coenam, in qua multi homines parvis ciborum copiis contenti esse debuerint; deinde *Ω*, 641 sq., ubi eum, qui in calamitate et luctu esset, degustare solum cibos par fuerit; denique eum, qui cibum omnino non gustaverit, jacere *ἄσιτον, ἄπαστον*[5]). At haec, quamvis bene observata sint, nimis angustis finibus circumscribunt verbi *πάσασθαι* notionem[6]). Accedit, quod *I*, 487 nihil

---

[1]) *ϑ*, 482 sq.; *δ*, 65 sq. — [2]) *ϑ*, 475 *νώτου ἀποπροταμών.*

[3]) ut *κνῆστις,* radula aenea ad scabendum caseum (*Λ*, 638).

[4]) p. 23 F sq. — [5]) *δ*, 788. — [6]) cf. *Ω*, 641 et 628; *τ*, 160 et 167; *Φ*, 76 *πάσασθαι Δημήτερος ἀκτήν,* pro qua locutione vulgaris est *ἔδειν Δημ. ἀκτήν.* Qui loci certe repugnant illi sententiae, non nostrae, quae ne Athenaei quidem observationibus redarguitur.

omnino demonstrat, si verba corrupta tandem aliquando corriguntur. Glorians Phoenix: ego, inquit, te ad hanc magnitudinem educavi toto pectore te amans

ἐπεὶ οὐκ ἐθέλεσκες ἅμ' ἄλλῳ
οὔτ' ἐς δαῖτ' ἰέναι οὔτ' ἐν μεγάροισι πάσασθαι,
πρίν γ' ὅτε δή σ' ἐπ' ἐμοῖσιν ἐγὼ γούνεσσι καθίσσας
ὄψου τ' ἄσαιμι προταμὼν καὶ οἶνον ἐπισχών.

Qualis sensus! Quis negabit ad coenam se iturum, nisi prius cibum sumpserit? Quis ad coenam invitabit infantem in genibus adhuc sedentem? Quae denique Phoenicis haec laus, quae gloriatio? Quae cum ita sint, velim tu legas *ἐθέλεσκον,* cujus lectionis vestigium est apud Athenaeum, ubi testante Schweighaeusero mss. habent *ἔθελον.* Qui sensus jam efficitur! Equidem ille fui, qui te tam magnum reddidi atque toto animo te amavi; neque enim prius cum alio ad convivia ire neque domi coenare sustinebam, quam te genibus impositum satiavissem. Permitto lectori benevolo, ut, quae lectio meliorem sensum efficiat, eam sibi eligat. Ut denuo ad Athenaeum redeam, quod Lehrsius dicit Aristarcheum illum locum esse patere ex scholio ad *I,* 222, id mihi quoque probabile est. Scholion autem illud haec continet: priusquam ad legationem profecti sunt, jam apud Agamemnonem famem coena pepulerunt (v. 117); Aristarchus igitur melius scribi censet *ἂψ ἐπάσαντο,* sed propter verecundiam nihil mutavit. Neque opus est mutatione illa graviore. Formulae enim ejusmodi ut *ἐξ ἔρον ἕντο* interdum apud Homerum *ἰδίως* sive *καταχρηστικῶς* usurpantur. Hoc optime intelligitur ex *Ω,* 628, quo loco quum eadem illa formula exstet scholiasta hoc addendum esse putat: *οὐκ εἰκὸς ἦν Πρίαμον εἰς κόρον δειπνεῖν.* Sa-

tietatis conditio deinde his verbis significatur

αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο[1]).

De siti expulsa similis formula exstat *πίνοντε ἀφέτην δίψαν*[2]). Idem vero verba *ἐξ ἔρον εἶναι* per circumscriptionem exprimunt quod *κορέσασθαι*[3]) vel *κορέσασθαι θυμόν*[4]); idem deinde significant verba *κορέσασθαι* et *πλήσασθαι θυμόν*[5]). Unde perspicuum est falsum esse, quod scholiasta ad *Α*, 469 affert, qui: »urbanum, inquit, est reticere eos ad satietatem usque comedisse; hoc enim servile est«. Quum enim idem significet *κορέσασθαι* quod *πλήσασθαι*, idem porro *κορέσασθαι* quod *ἐξ ἔρον εἶναι*, necesse est etiam *πλήσασθαι* atque *ἐξ ἔρον εἶναι* idem significare. Verbo *τέρψασθαι* satietatem indicari falso dixerunt Athenaeus et Passovius; neque enim ulla causa est, cur a propria notione recedamus, quae est delectari vel refici; quare formula *αὐτὰρ ἐπεὶ τάρπημεν ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος*[6]) suo jure neque pro altera illa *αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος κτλ.* posita est. Formula denique *ὅσον ἤθελε θυμός* tantum ad bibendum pertinet atque solum in fine coenae post libationem invenitur, ubi ceterae formulae, quas ante memoravimus, minus apte usurparentur.

§ 6. ***Modum cibi et potus habitum fuisse.*** Ut homines Homericos gulosos fuisse existimemus, nihil nos commovet. Nam quod coenam interdum brevi tempore interposito repetunt, certis de causis hoc faciunt aut, quum hospites adveniunt, ut illos ad largius edendum impellant[7]),

---

[1]) Athen. p. 9 F explicat: *τὴν ἐπιθυμίαν πληρώσαντες; ω*, 489 formula prorsus insolito modo variata illius libri suspicionem auget.

[2]) *Α*, 642. — [3]) cf. *δ*, 103 et *Ω*, 227 ibique schol.; *Ν*, 635. 636. 639 et 638. — [4]) cf. *θ*, 98 et 72. — [5]) cf. *ξ*, 28 et *τ*, 198.

[6]) *Λ*, 780. — [7]) *Ω*, 618 sq.

aut, quum ipsi alios visunt, ne hospitium recusare neve illos offendere videantur[1]). In bibendo vero quam servaverint moderantiam, non solum ex vini mixtura intelligitur, verum etiam inde, quod cum carnis tum vini certa portio singulis convivis tribuebatur[2]), exceptis honoratioribus, quibus plena semper pocula aderant et bibere licebat, *ὅτε θυμὸς ἀνώγοι*[3]). Temulentia quidem non ignota est Homero[4]), sed exemplis formidolosis[5]) vehementer ab ea homines deterrere studet et inter acerbissima convicia vocem contumeliosam *οἰνοβαρές*[6]) exhibet. Turpissimum autem esse judicat, si temulentia perturbati convivae in ipsa coena pugnam excitent[7]), atque maxime eum esse detestabilem, qui convivam necaverit[8]). Mensa enim hospitali communique coena sanctum conjunctionis vinculum inter convivas conciliatur. Gulosum autem Ulixem ab Homero esse descriptum falso e quibusdam locis concludit Athenaeus[9]) vel potius Zoilus quidam, e cujus scriptis in illum locum istam disputationem transtulisse, non suo nomine instituisse Athenaeum Casaubonus recte suspicatus est. Itaque operae vix pretium esset ista refutare, nisi hoc modo pro quaestione, quam tractamus, nonnulla lucraremur. Primum impetus cujusdam, quem in edente et bibente Ulixe Zoilus ille vituperat, causam diserte affert poeta ζ, 250: *δηρὸν γάρ ἐδητύος ἦεν ἄπαστος*; eadem fere causa est η, 215 sq.: justam

---

[1]) I, 222 cf. § 9. — [2]) *δαιτρόν* Δ, 262.

[3]) Δ, 263 (cf. supra ad *δαῖτα ἐίσην*).

[4]) Novit, quid eveniat ei, qui nimium potaverit cf. σ, 240 sq.; ι, 374; ξ, 463 sq.

[5]) cf. Athen. p. 10 E. — [6]) Α, 225. — [7]) π, 291 sqq.

[8]) φ, 26 sqq.; λ, 410 sqq. Hoc iis, qui vino incaluerant, eo facilius accidere poterat, quod *φάσγανον* etiam inter coenam gerebant (χ, 74).

[9]) p. 412 B sq.

coenam diu Ulixes non sumpserat. At oportebat, tametsi esuriret, tolerare aut certe cibo potuque modice eum uti. Certe, si Homerus aetatem describeret, qualis fuit Athenaei aut ea est, qua nos sumus; sed Homeri homines simplices sunt atque veri. Maxime vero miror, quomodo tam turpiter ille ξ, 109 praeclaram poetae artem in describenda animi conditione probatam ad Ulixis gulositatem referre potuerit. Summam enim simultatem, quam audita Eumaei narratione concepit, Ulixes mussitans non potest in edendo non prodere itaque *ἐνδυκέως κρέα τ' ἤσθιε πῖνέ τε οἶνον | ἁρπαλέως ἀκέων, κακὰ δὲ μνηστῆρσι φύτευεν.* Ab eodem illo Zoilo fortasse profecta sunt, quae alio loco Athenaeus[1]) affert, ubi Epicuri doctrinae quasi auctor Ulixes nominatur propter ι, 5 sqq. Qua de re ne audiamus Megaclidem[2]); simplicior enim interpretatio exstat haec. Post longos errores laboresque summos tandem ad amicos pervenit Ulixes, a quibus spe recuperandae patriae erigitur convivioque excipitur lautissimo; quid mirum igitur illa verba hujus viri habent, qui suavissima quadam voluptate perfusus est[3])? Quod denique aliquoties per totum diem edisse innumeras carnes dicuntur, quae formula inter hyperbolas apud Homerum non raras referenda est, hoc illis vitio dari non potest, quibus, postquam erroribus defatigati terram appulsi sunt[4]), nullum aliud negotium est vel oblectamentum. Quid plura? Tristes modo interpretes crimini vertent Homero, quod ex hilari et vegeta rerum contemplatione

---

1) p. 513. — 2) ap. Athen. l. l.

3) Verba *οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι* hyperbolice dicta sunt, ut nos dicimus: es giebt nichts Schöneres, es ist gar zu schön. cf. *K*, 216 et N. ad ι, 5 sq.

4) Formula illa modo in Ulixis erroribus poeta utitur.

meritum edendo et bibendo pretium tribuit. Cibo et potu spiritus vitales recreantur[1]), vires et animus, patientia et fortitudo afferuntur atque augentur[2]); fame contra nihil gravius accidere potest; crudelissimus enim tyrannus est stomachus[3]).

§ 7. *De propinatione.* De propinandi more Homerico quae pervulgata opinio est, falsa esse mihi videtur. Neque enim propinatio ita fiebat, ut conviva in convivae salutem aliquid ipse biberet, sed completa pocula, antequam biberant, sibi invicem porrigebant salvere alios alii jubentes. Propinationem autem ea ratione factam esse, qua nos censeamus, non solum loci Homerici[4]) omnes, verum etiam verbi *δειδίσκεσθαι* vis et veterum testimonia suadent[5]). Solebant etiam faustis verbis gratulantes alloqui eum, cui propinabant[6]), atque omnino benevolentiam suam propinando declarabant[7]). In ipsa propinatione mos eorum erat surgere ad eumque, cui propinaturi erant, adsistere[8]), qui deinde, si multi salutabant, ejus, qui primus obvius fuerat[9]), poculum accipiebat et, postquam libaverat et biberat[10]), reddebat[11]).

§ 8. *Quamdiu in coenis versati fuerint.* Ubi nihil grave instat et heroibus licet commode se edendi et potandi voluptati tradere, fit, ut totum diem epulando consumant. *Πρόπαν* vero *ἦμαρ* eo definitur, quod est reli-

---

1) *κ*, 460 sq. — 2) *Τ*, 160—170.

3) *η*, 215—221; *ο*, 341 sqq.; *ϱ*, 286 sqq.

4) Ita *ξ*, 112 sq. *Ι*, 224, quo loco verba *δείδεκτ' Ἀχιλῆα* vocabulo *χαῖϱε* (nos diceremus Wohl bekomm's) explicantur.

5) Schol. Aristarch. ad *Ι*, 224. Athen. XI, 498 C sq.

6) *σ*, 121 sq.; *Ω*, 101 sq. — 7) *ξ*, 112 Ulixis de ea re animo laetatur.

8) *ν*, 56 sq.; *Ο*, 86. — 9) *Ο*, 87 sqq. — 10) *σ*, 151 cf. *ο*, 119.

11) *σ*, 152; *Ω*, 102, ubi per errorem schol. *ὤϱεξε πιοῦσα* pro *ὀϱέξασα ἔπιεν* dictum esse censet.

quum omne diei usque ad solis occasum, nempe a quo termino somnus solet incipere tum apud deos tum apud homines[1]). Longius raro coena producitur[2]). Post coenam deinde, dum ceteri cubitum eunt, interdum herus et nonnulli ex familiaribus remanent colloquia serentes et vinum potantes[3]), quoad herus abeundi signum dat[4]), neque tamen contra morem est, si hospes lassus veniam petit, ut cubitum ire sibi liceat[5]). Mensae, panes, pocula convivis, usque dum omnes discessissent, adesse solebant[6]). Deinde ancillae *ἀπεκόσμεον ἔντεα δαιτός* et in eam aedificii partem, quae *θόλος*[7]) nominabatur, seponebant. Sine causa mirari Athenaeus[8]) videtur, quo pacto *Ω*, 476 lugenti Achilli per totam coenam aeque atque iis, qui laeti epulentur, mensa apposita fuerit; quamobrem ita illum versum legi vult

ἔσθων καὶ πίνων ἔτι, καὶ παρέκειτο τράπεζα.

A scholiasta hic versus prorsus ejicitur, cujus tamen sententiae aliae causae magis probabiles afferri debebant. Totus enim versus nihil aliud videtur esse nisi verborum *νέον δ' ἀπέληγεν ἐδωδῆς* plenior atque fusior explicatio ab interpolatore quodam profecta. Male verba *ἔσθων καὶ πίνων* ad ea, quae antecesserunt, adduntur; ejecto autem versu nihil plane desideratur.

§ 9. ***De convivarum oblectamentis.*** Inter convivarum oblectamenta praeter ludos, qui tamen plerumque coenas aut antecedere aut sequi solebant, praecipue memoranda sunt *ἀοιδοῦ* et ipsorum cantus atque saltatio;

---

1) schol. ad *Α*, 472 cf. ad 475. *Α*, 605. — 2) cf. supra.
3) *η*, 229 sqq. — 4) *η*, 340 sq. — 5) *δ*, 294 cf. Athen. p. 191 D.
6) *τ*, 60 sq. cf. *η*, 232 sq.; *ο*, 466 sq.
7) schol. ad *χ*, 442. cf. Friedr. p. 304. — 8) p. 12 A sq.

cithara[1]) enim coenae socia[2]), cantus et saltatio ornamenta[3]) sunt, quare certus ἀοιδός nobiliorum epulis adesse solet, ut Phemius apud procos, Demodocus apud Alcinoum[4]). Cantant vero ἀοιδοί, postquam ipsi inter alios coenaverunt[5]), plerumque post coenam[6]), dum convivae potant, sed etiam inter ipsam coenam[7]) vel utroque tempore[8]). In epularum oblectamentis praeterea fuerunt colloquia utque convivia summi doloris remedia esse atque exhilarare afflictos putarentur[9]), certe multo magis communionis et colloquii jucunditas, quam edendi et bibendi voluptas effecit. Solebant vero colloquia incipere, ubi cibi potusque libidinem expleverant; immo in hospitum exceptione ne decorum quidem habebatur colloquia cum iis incipere, priusquam satiati essent[10]). Quare *I*, 193 sq. nihil antiquius habet Achilles, quam ut hospitibus cibus et potio apponantur, neque illi, quamquam brevi antea ederunt, ab apparanda coena Achillem prohibent, quin etiam aliquid de cibis appositis sumunt, ne contra morem facere videantur.

Haec igitur fere sunt, quae apud Homerum de coenis inveni quaeque mihi digna videbantur memoratu.

---

[1]) *κίθαρις* et *φόρμιγξ* idem instrumentum significant, magnitudine fortasse diversum; cf. Pollux IV, 9 p. 379. Tibiarum semel mentio fit in coena nuptiali (*Σ*, 495). — [2]) *ϑ*, 99; *ϱ*, 270 sq.

[3]) *α*, 152; *φ*, 430. — [4]) cf. *ν*, 8 sq. — [5]) *ϑ*, 69 sq.

[6]) *α*, 152 sq. cf. 150; *ϑ*, 73; *φ*, 428 sq. — *χ*, 352 nonnulli quidem *μετά* »inter« significare dicunt, sed ita haec praepositio apud Homerum non usurpatur, nisi cum accusativo personae conjuncta est. Neque *μεταδόρπιος* aliud quidquam significat nisi post *δόρπον*. cf. supra.

[7]) Hoc falso Terpstra negat, N. ad *ϑ*, 65 modo de Phemio concedit; sed cf. *ι*, 7. — [8]) cf. *ϱ*, 269 et 605 sq.; *ϑ*, 90 ibique N.

[9]) cf. *I*, 466 sqq. — [10]) *α*, 123 sq.; *γ*, 34 sq. cf. 67 sq., ubi illa urbanitatis regula disertis verbis indicatur; cf. N. ad h. l.

VITA.

Natus sum Alexander Oscar Brosin Quedlinburgi, in urbe Saxoniae provinciae, anno hujus saeculi XXXIX mense Martio die decimo patre Carolo, matre Aemilia e gente Carstens, quos adhuc superstites esse laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Quum primis litterarum elementis imbutus essem, decem annos natus in gymnasium receptus sum Quedlinburgense, quod adhuc floret Francisci Richteri, summi viri, auspiciis. Ibi per octo annos et dimidium doctorum virorum, quibus gratias ago quam maximas, usus disciplina anni h. s. LVII mense Octobri, maturitatis testimonio instructus, in hanc almam litterarum sedem me contuli. Civibus academicis adscriptus Ill. Rudorff t. t. rectore magnifico, nomine apud philosophos dato interfui per tria semestria scholis virr. Ill. Boeckh, Haupt, Trendelenburg, Ritter, Michelet, Benary, Bopp, Keil, Koepke, Lepsius, Gosche. Ne tamen alios viros insignes audire negligerem, Gottingam profectus interque cives academicos receptus prorectore magnifico Waitz per tria semestria frequentavi scholas virr. Ill. Sauppe, E. de Leutsch, Curtius atque proseminarii philologici exercitationibus sodalis, deinde seminarii sodalis extraordinarius interfui nec non exercitationum philologicarum ad historiam antiquam pertinentium, quas moderabatur E. Curtius, socius fui. Illis viris clarissimis, qui singulari benevolentia studia mea adjuverunt, ex animo gratias agendi hanc occasionem non omiserim. Berolinum reversus jam in eo sum, ut studia mea academica ad finem perducam.

THESES.

I. In Sophoclis traegoediis iis, quae supersint, nullam esse trilogiam neque omnino eum videri trilogias scripsisse.

II. Horat. Serm. I, 1, 108 ex variis lectionibus hanc maxime comprobandam esse: »illuc unde abii redeo, *nemo ut* avarus«.

III. In Taciti dialogo c. II. cum Sauppio legendum esse »tamquam *non* in eo«.

IV. Athenis duo fuisse fora et vetus et novum Pisistratidarum tempore constitutum.

V. In Aeschyli Persis versum 313 esse corruptum.

VI. Aristophanem deos Atheniensium gentiles non irrisisse.


3 0112 023795716